



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Liber VI. De Signis veritatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

quiens epoche hoc est assensionis sustentatio, qua vult nihil esse firmum, ac stabile, si à seipsa caperit, clarum est, quod primum seipsam infirmabit. Aut ergo dat aliquid esse verum; & non est de omnibus sustinenda assensio, aut persistis dicens, nihil esse veri; & clarum est, quod nec ipsa prius verum dicit: aut enim ipsa verum dicit, aut non: sed si verum quidem dicit, concedit vel innuit, esse aliquid veri: sin autem non verum

dicit, vera ea relinquunt, qua volebat tollere de mediocritate: nam quatenus falsa ostenditur, qua perimit epoches, seu assensionis sustentatio, eatenus vera esse ostenduntur, qua perimuntur: quomodo somnium, quod dicit omnia somnia esse falsa: nam cum seipsum perimat, confirmat alia. Vide etiam, si libet, huius argumentationis dūo lepidissima exempla apud Aulum Gellium lib. 5. nocturnum Atticar. cap. 10.



LIBER SEXTVS

De Signis veritatis.



TRACTATVS I.

De Signo in communi.

CAPVT I.

Quid sit Signum in communi.



Propria, & germana signi vt sic definitio est talis: Signum est, quod in alicuius veritatis cognitionem quempiam ducit. Obiicies tamen primo, ita fore, vt res spirituales fortiantur rationem signi: nam iuxta doctrinam B. Thomæ 1. part. quæst. 56. art. 3. ac cæterorum omnium Theologorum, nobis sunt medium cognoscendi Deum & in eius notitiam nos perducunt: atqui non sunt signa: rationem enim communem signi definit Augustinus lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 1. hoc pacto: signum est, res speciem, quam ingerit, sensibus aliquid aliud ex se faciens in cognitionem venire, & lib. de principiis dialecticæ cap. 5. Signum est, quod seipsum sensui, & præter se aliquid animo representat: ergo de essentia signi est, quod sit sensibile quidpiam, ac proinde materiale: haud ergo potest esse spirituale; è conuerso igitur nil spirituale sustinet esse signum. Respondeo, signum in communi haud oportere esse rem materialiter, sed latius hac patere, vt ex Magistro sentent. dist. 1. colligunt Conimbricenses, vtque est communis scholasticorum opinio: quare quod ex nostra definitione sequatur, res spirituales obtinere rationem signi, non est incommodum. Augustinus autem haud signum in communi sumptum, ac latissimè fufum, sed quandam eius speciem nobis magis exploratam, videlicet signum externum, ac sensibus obuium definit, atque adeo definitioni nostræ non contradicit.

Obiicies aduersus eam secundo: cognitio reflectens supra seipsam ducit in cognitionem sui, ac facit seipsam cognosci: at non est signum sui: perperam ergo definitum est à nobis signum. Maior est in aperto: Minor suadet, nihil potest esse signum sui, ergo nec etiam cognitio seipsam significare: Consequentia hæc negari nequit: Antecedens est,

Conimbricenses lib. 1. de interpret. cap. 1. quæst. 1. art. 2. Soncinatis 12. metaph. quæst. 59. Torrens de Trinit. quæst. 27. art. 1. disp. 2. Soti lib. 1. summul. cap. 2. not. 2. necnon, vt aliqui putant, Ambrosij lib. 1. de Abraham cap. 4. & Anselmi in c. 4. ad Rom. suadet, quæ in hunc modum.

Signum est representatio, siue imago rei significata: atqui nihil sibi ipsi assimilari, se representare, aut imaginari sustinet: tum quia, ita posset aliquid ad seipsum realiter referri, quo nihil magis absurdum: tum etiam quia, ita de imagine, ac similitudine seu representatione sentiunt Gregorius Nyssenus de opificio hominis cap. 17. Augustinus 7. de Trinit. cap. 1. Athanasius de consubstantialitate Verbi contra Meletium, Hilarius, Boëtius, & communiter alij Patres: necnō scholastici cum Magistro in 1. dist. 2. & dist. 27. ac B. Thoma etiam in 1. dist. 7. quæst. 2. art. 2. ad 2. & ex eo constat, quod similitudo sit relatio realis: nulla autem relatio realis potest esse nisi ad aliud nulla alicuius ad seipsum: nihil igitur sibi ipsi assimilari, se representare, aut imaginari sustinet. Deinde suadet, idem antecedens: signum sensibile ducit sensibilibiter in cognitionem alterius rei, vt liquet ex Augustino supra citato: signum ergo non sensibile, sed spirituale insensibilibiter, ac solum intellectualiter ducit in cognitionem alterius rei: omne ergo signum ducit in cognitionem alterius: at particula, *alterius*, denotat distinctionem: res ergo significata debet esse distincta à signo, & hoc ab illa, ac proinde nihil esse potest suum ipsius signum.

Respondeo, cognitionem supra se reflectentem esse signum sui, atque vniuersaliter in eo, quod aliquid rei ipsa se significet, nullam esse repugnantiam, nihil incommodi: Ita Arriaga disp. 13. logic. sect. 1. num. 5. Balthasar Tellez disp. 9. logic. sect. 3. conclus. 1. & quod caput est, id colligitur ex August. cap. 5. libri de Magistro. Ad primam rationem contrariam dicendum est, quamuis tam nequeat aliquid esse representatio, aut imago physica, & vniuoca sui, quam non potest aliquid ad se realiter referri; cæterum, si sermo sit de representatione, similitudine, & imagine intentionali, & analogica, quæ quidem instar physica non est ex genere suo realis relatio, posse quidpiam ita seipsum representare, se imaginari, ac sibi assimilari, adeoque esse sui signum. Et quidem prædicta ratio, si cuius esset momenti, id probaret, nullam cognitionem posse se cognoscere, aut representare: cuius tamen contrarium, quod ad di-

uinam

uinam attinet cognitionem, est omnibus in concessio; quod vero ad nostram spectat, à nobis est probandum ex professo in Metaph. lib. 7. tract. 11.

Ad secundam rationem contrariam dicendum est, Augustinum, ut non definit locis ex eo adductis omne signum, sed sensibile, ita fortasse nec omne sensibile definire, sed duntaxat omne realiter relatum ad rem significatam, ac sensibilibus representatam, propterea quod hoc genus signi externi sit notius & frequentius: quam ob rem non prohibere auctoritatem Augustini, quominus reperiri possit, tum signum sensibile sui, veluti si sensio aliqua nostra supra se reflectat, tum etiam, & multo maxime, signum intelligibile, ac spirituale sui, ut quando cognitio immaterialis seipsam attingit. Rursus secundò respondeo, ut relatio prædicamentalis definiri solet, cuius esse est esse ad aliud non tam ab ipsa relatione, quam à fundamento; quo fit, ut relatio illa possit consistere ex parte in ipso termino; ita similiter signum esse, quod ducit in notitiam alterius rei, non quod ea debeat esse altera, ac distincta ab ipso signo, sed ad summum, vel ab illo, vel à potentia; unde fiet, ut cognitio nostra se cognoscens sit signum sui: ducit enim in cognitionem alterius rei non à se, sed à potentia: omnis namque potentia intellectiva creata per cognitionem realiter distinctam necessario intelligit. Respondeo tertio particulam, *alterius*, quæ de industria est à nobis omissa in definitione signi in communi, ut tamen ei adhiberi possit, ac debeat propter Augustini duo superiora testimonia, haud tamen ob stare, quominus cognitio sit signum sui: siquidem tantum conficit, signum, & rem significatam oportere virtualiter, ac ratione distingui: ita autem concedimus, cognitionem distingui à seipsa, quandoque simul est signum, & res significata.

Obiicies tertio: Hoc ipso, quod signum: & res significata ex conceptibus suis formalibus, & ratione nostra distinguantur, ut à nobis est concessum, utque per se est evidens, sanè multæ res significatæ non erunt signa sui: atque, ut præmittantur aliæ, albitudo ab aliquo visa erit res per cognitionem intuitivam significata, non tamen sui signum: at ducit potentiam visivam, & etiam intellectivam in notitiam sui, in quam, vel immediatè influit, vel certè intellectio specierum à se effusarum: perperam ergò est à nobis definitum signum, quod in rei seu veritatis cuiusdam notitiam ducit aliquem.

Respondeo albitudinem, & quamvis aliam id genus rem, quæ nec est cognitio sui, nec prius cognita quoad unam formalitatem movet ad se ipsam percipiendam quoad aliam, ita significari, ut non sit signum, siue significans: nostra autem signi definitio tali nunquam convenit obiecto: siquidem, uti nulla res educit physicè, aut generat seipsam, nulla non aliud physicè, ac realiter distinctum, ita pariter nihil potest ducere intentionaliter in cognitionem alicuius, à quo non sit distinctum intentionaliter saltem, ac ratione nostra: huius modi ergò distinctio, quamvis non exprimitur in nostra signi definitione, at in ea tacite insinuat; quippe in qua statuimus, esse de conceptu signi, ut ducat in cognitionem alicuius: Albitudo autem faciens se cognosci, ut est albitudo, nequaquam à se, quatenus est talis, distinguitur ratione: nec enim aliud etiam ratione, sed se ipsissimam potentiam nostram efficienter representat: quid mirum ergò, si eo ex titulo non ducat propriè in cognitionem sui nec ei nostra definitio competat?

Obiicies quarto, potentia cognoscens obiectum

aliquid seorsim à quocunque alio ratione distincto ducit se in illius notitiam, eiusque in se cognitionem efficit: at formalissimè, ut potentia est, haud est signum, sed potius cui res significatur: ratio igitur signi malè à nobis definita est. Respondeo aliquos arbitrari, univèrsim non repugnare, ut potentia cognoscit: ut rei sit eius signum: tum quia si de Deo sermo sit, eius intellectus est rerum omnium intellectio actualis, adeoque signum: tum etiam, quia fortasse in alia rerum serie non repugnat facultas aliqua per se ipsam aliquid cognoscens, nulliusque ad id accidentis indiga: tum denique, quia omne obiectum formale est signum instrumentale materialis: ad huius enim notitiam illud, prout prius cognitum, perducit: potentia autem cognoscitiva etiam finita cognoscit in seipsa, velut in obiecto formali, plura materialia. Et verò, licet hæc ita sint, potentia cognoscitiva, prout talis, sine eo quod sit cognitio, aut ratio obiectiva cognoscendi, nequit esse signum, ut bene contenditur in argumento certum, utque est certo certius. At haud minùs certum, & exploratum est, ei ita sumptæ nostram definitionem signi non convenire, nimirum quod ducat in notitiam alterius: ita enim ducere postulat distinctionem saltem rationis, quam potentia, prout in præsentiarum usurpatur, non habet respectu sui. Hinc obiter colligo aduersus Arriagam cum Soto, Conimbricensibus, haud esse omnino idem, significare, ac representare utcumque: nam potentia, & obiectum effectivè representant res cognitæ, & tamen, quatenus eiuſmodi præcisè sunt, signi rationem non obtinent. Porro, tamen iuxta dicta superius, interdum sola ratione possit, petatque signum ab obiecto, vel potentia distingui, non renuo tamen (nec debeo) aliam eius strictiorem significationem, penes quam distingui realiter postulet, cum à potentia, tum etiam, & maxime ab obiecto, ab eoque provenire: quo etiam pacto imaginis, & est usurpatio stricta illa quidem, & propria superius tradita, & est alia strictior, secundum quam distingui realiter à suo termino, ab eoque proficisci deposcit: & ita verbum divinum dici consuevit imago, non sui, aut Spiritus sancti aut creaturarum, sed solius Patris, à quo tum distinguitur realiter, tum realiter provenit, ut tradunt Ruiz de Trinit. disput. 64. sect. 4. & disput. 63. sect. 7. & Suarez de Trinitate lib. 9. cap. 9. ubi ait hanc esse concordem Theologorum sententiam.

Obiicies quinto. Causa prius cognita in cognitionem ducit effectus; neutiquam tamen eius signum est: ergo &c. Antecedens probatur quoad secundam partem; prior enim est satis comperta: Demonstratio ab effectu, prout condistincta à demonstratione à causa, nuncupari consuevit ab omnibus demonstratio à signo: quorsum autem id nisi quia effectus prius cognitus causæ signum esse potest, secus verò de conuerso? Respondeo: signum, contrà quam obiectio contendit, haud debet esse effectus rei significatæ, sed potius est præter eius rationem, quod sit causa, vel effectus; ut tradunt B. Thomas quæst. 9. de verit. art. 4. ad 5. Conimbricenses lib. 1. de interpret. cap. 1. quæst. 2. art. 1. tum quia cognitio, quin suimet sit effectus, sui signum quandoque est, ut constabit inferius: tum quia, in non paucorum Thomistarum sententia, visionis scientia in Deo est causa futurorum, & non effectus eorum, iisvè posterior, cum tamen sit illorum formale signum: tum quia portenta illa in sole, luna, & stellis apparitura extremi iudicii signa erunt, ut perhibet Euangelium, cum nihilominus iudicio, quod

quod portentent, priora sint futura, & non eius propriè effectus: tum denique, quia sacramenta sunt gratiæ signa, at eius sunt causæ, non effectus: quod autem sacramenta gratiam significant, est certo certius: ea namque propter, & ob eorum causalitatem, & influxum in gratiam, quam in anima indicant, & efficiunt, signa à B. Thoma 3. p. quæst. 60. art. 2. & ceteris Theologis dissecari solent in practica, & speculatiua. Demonstratio autem ab effectu vocatur demonstratio à signo potius, quam ea quæ per causam procedit, quoniam effectus sensibilis, & clarius significant causas, quam hæ suos effectus (esto se mutuo queant significare) propterea scilicet quod plures effectus, quam causæ sensibus sese offerant. Adice, quod causa significans effectum ei non tantum dat esse intentionale, seu cognitum, sed etiam esse physicum, & reale; effectus verò prius illud esse, non posterius: quo fit, vt multoties effectus solus datur esse signum, & demonstratio ab illo rem demonstrare à signo; contra verò causa non signum, sed principium esse rei, eamque ostendere non tam à signo, quam à priori, singula nimirum singulis tribuendo, vt fieri consuevit. Obiicies denique sextò: multa signa non verè, sed falsò repræsentant, nec tam in veritatis, quam in falsitatis ducunt cognitionem: vt v.g. cum virga aquis immersa, tamen directa, & integra sit, fracta tamen, inflexæ appareat; aut cum quadratæ procul turres apparent nihilominus rotundæ: perperam ergò definitum est à nobis signum, quod in alicuius veritatis cognitionem quempiam ducit. Respondeo, vt intellectus noster ab omnibus, & quidem merito dicitur tendere semper sub ratione veri, tanquam sub ratione formali, licet sæpius ludificetur, & falsò assentiatur; nimirum quia nunquam falsum amplectitur, nisi sub imagine, ac specie veri: ita similiter rectè dici potest in præsentia, signum esse ex conceptu suo, quod ducit in notitiam alicuius veritatis, vt vt multoties in falsitatem aliquam trahat cognoscentem: scilicet, quia eum in falsitatem non vt talem, sed potius, vt veritatis coloribus, ac veluti lenociniis tinctam, delibutamque pertrahit.

C A P V T II.

Euodantur aliqua dubia circa signum in communi.

9 D ubitabis primò: constituatur nè signum in ratione signi per habitudinem, & relationem ad rem significatam, vel potius ad potentiam cognoscentem, cui significat? Bonauent. in 4. dist. 1. quæst. 2. Scotus ibidem, & alij plures volunt, relationem signi ad solam rem significatam illud constituere, in ratione signi. Cæterum probabilius est, quod docent Conimbricenses citat. lib. 1. c. 1. q. 1. art. 1. §. non est tanti momenti, signum constitui in ratione talis per habitudinem, tum ad rem cognitam, & significatam, tum etiam ad potentiam cognoscentem. Suadetur primò, quia signum definiri debet, quod ad alicuius notitiam quempiam ducit: at particula, *alicuius*, denotat rem significatam; & *quempiam*, indigitat potentiam cognoscentem: definiri ergo debet per respectum ad utramque. Deinde secundò, quod habitudo ad rem significatam sit de ratione signi, colligitur ex Augustino lib. 12. super Genes. & lib. 10. de ciuitat. Dei cap. 5. Hieronymo cap. 12. in

P. Lyncei Philosophia Tom. 1.

Metth. eneca lib. 1. natural. quæstion. quæst. 6 lib. 6 Plinio lib. 18. Histor. natural. cap. 35. aliisque scripturis sacris, & prophanis. Quod verò habitudo ad potentiam sit de conceptu signi, ex eo claret, quod obiectum materiale dicitur tale non solum propter ordinem ad obiectum formale, quod, sed etiam ad obiectum formale cui; cum non amem Medicinam propter salutem qualemcunque, sed meam; siue, quod perinde est, non nemini, nec etiam alteri, sed mihi possidendam: similiter ergò haud dicendum est, signum esse tale respectu eius solius, quod significat, verum etiam eius, cui significat.

Dubitabis secundò: an in causis, quas diximus superius esse signa suorum effectuum, recidant in idem, nullaue ratione distinguantur relatio causæ, & relatio signi? Utramque relationem esse prorsus indistinctam innuunt Conimbricenses vbi supra, quæst. 1. art. 2. post medium: Negant verò Balthasar Tellez in log. disp. 9. sect. 2. numer. 8. Leucula lis; quam ita componendam arbitror. In causa relatio signi præcisè sumpta proculdubio distinguitur à relatione causæ: siquidem in priori relatione causa conuenit cum effectu, quippe, qui numerandus est in signis; in posteriori verò dissidet ab effectu: ambæ ergò distinguuntur ratione ratiocinata, ac virtualiter, haud secus ac animal; merito cuius cum belluis conuenimus, & rationale, beneficio cuius ab iis dissidemus. Cæterum in causa ratio, ac relatio signi à priori non distinguitur omnino, & adæquatè à relatione causæ, sed potius eum intimè inuoluit: etenim id intrinsecè inuoluit, per quod differt à signo à posteriori: horum autem signorum differentia in eo sita est, quod alterum sit causa, alterum verò effectus. Confirmatur: alia signa includunt intrinsecè, & essentialiter relationes quasdam physicas: quid ni ergo signum à priori, & à posteriori relationem causæ, & effectus? Antecedens liquet: nam iuxta doctrinam B. Thomæ in 4. dist. 1. quæst. 1. Scoti q. 2. Alexandri 4. p. q. 1. in 1. & Richardi de Media villa in 4. dist. 1. quæst. 3. art. 1. signum aliud est memoratiuum, quod re significata est posterius tempore: quo pacto significari voluit Deus per iridem pactum, cum humano genere initum: *Ponam* inquit Genes. 9. *arcum meum in nubibus; & erit signum fœderis inter me, & inter terram: cumque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum, &c.* aliud vero signum est demonstratiuum, quod est simul tempore cum re significata: quo modo fumus latentem demonstrat ignem: aliud denique prognosticon, quod rem significatam tempore anteuertit: cuiusmodi sunt varij colores linnæ intuitu futuræ serenitatis, ac tempestatis, iuxta vulgare carmen, Pallida luna pluit, rubicunda stat. alba serenat: Quis autem ignoret, relationes priores, posteriores, & simul, esse physicas, & reales?

Dubitabis quartò, an sit de ratione signi, vt actū repræsentet, & ducat in cognitionem alterius? Non esse respondeo, cum Alensi 4. part. quæst. 1. in 1. ad 2. Bonauentura, & plerisque aliis. Verba namque, vt est Dialecticorum paræmia, in definitionibus non tam significant actum, quam aptitudinem. Deindè alioqui fiet, vt Eucharistia, nisi dum sumitur, non sit sacramentum, aut gratiæ signum. Basilius autem in caput 8. Esaiæ, etiam videatur contrarius, non est ramen reuera: solum enim vult, rem actū significari posse, tamen non existat; signum autem nequire actū significare, & ducere in alterius notitiam sine eo quod existat actū; saltem enim necesse est cognitionem tunc existere adeoque signum aliquod.

S

Basilius

Basilus ergo ad actualem significationem, alicuius existentiam signi desiderat: nos verò ad existentiam signi actuale exercitium significandi, & ducendi in alterius notitiam non requiri volumus: quid est ergo, quod tenus nobis officit?

12 Dubitabis quintò, an ad signum necesse sit, per eandem potentiam illud, atque rem significatam percipi? Negant absolute Ferrariensis 2. contra gent. cap. 73. & Conimbricenses in presenti, quia sensus motum percipit, non verò latentem animam motu significatam: hanc enim sola ratio penetrat. Contrarium tamen est verius, si cum proportionem, ut aiunt, loqui velimus: Namque signum nequit non obici potestati cuius significat, nec potest significare quidpiam potestati, cui non obicitur: necessum ergo est, ut per eandem potentiam qualis ea demum sit, tum signum, tum res significata percipiantur. Ratio autem in contrarium adducta nil habet momenti; siquidem motus animam, & vitam sui causam non significat sensui, sed rationi; hæc autem ex æquo causam illam, effectumque vno obtentu comprehendit.

13 Dubitabis sextò, an cognitio sit propriè signum; Esse supposuimus hætenus pro comperto: suppositum autem esto id Conimbricenses tom. 2. log. cap. 1. de signis art. 3. q. 2. sect. 3. & aliqui alij Recentiores negent, idemque negandum antiquorum nonnulli insinuent, facile tamen probatur: species expressa obiecti est eius signum, ut docent B. Thomas q. 4. de verit. art. 1. ad 7. Albert. Magnus 4. ethicor. tract. 3. cap. 2. Sencinas 12. Metaph. q. 56. Aegid. in 1. dist. 27. q. 2. Scotus in 3. dist. 14. q. 3. & cum his ferè omnes neoterici: at cognitio creata non distinguitur à specie expressa, & verbo, vel, si distinguitur, par est, quoad præsens attinet utriusque ratio: cognitio ergo nostra signum est; quod si nostra, quidni diuina, quæ perfectior? Item signum instrumentale; quod non repræsentat, nisi mediante cognitione, eiusque interstitio est signum: ergo à fortiori, ut aiunt, cognitio ipsa, quæ immediatè, & magis propriè repræsentat. Dicent fortassis aduersarij: actio non est causa, sed causalitas: repræsentatio ergo ipsa, siue cognitio haud erit signum, sed significatio. Ita quidem loqui possemus de signo, si ferret usus, nec ampliùs quidquam conuincit argumentum. Sed contrariam phrasim, quia inter plerosque scolasticos nuperos, & antiquos trita est, deinceps etiam teri æquum est, eo quod in quæstionibus de voce consuetudini sit potissimè standum. Adde, causam esse eam rem, quæ ut, quod, producit effectum non quæ ut quo: nil mirum ergo, si actio quæ eum producit duntaxat ut quo, causalitatis, non causæ rationem obtineat. At signum non repræsentat, neque cognoscit ut quod, alioqui potentia eaque sola foret signum; eiusque tantum partes sunt cognoscere, ac repræsentare ut quo: nihil autem magis propriè, & immediatè cognoscit ut, quo, quam ipsa cognitio. Dicent secundo aduersarij cum Conimbricensibus vbi supra: signum est ratio cognoscendi; ergo non cognitio. Mala consecutio: eadem enim res potest esse cognitio, & ratio cognoscendi; sicut idem modus vno, & ratio formalis vniendi; actio, & ratio formalis agendi &c.

14 Dubitabis septimò, an species impressa, si forte datur in sensu, & intellectu, aut, si in hoc solo, & siue in eo sit habitus solum, aut qualitas vicaria obiecti, sit signum? Censeo esse cum Arriaga in præfenti, & Conimbricensibus 1. de interpret. cap. 1. q. 2. art. 3. & plerisque aliis. Namque in primis Angeliloquentur inuicem, eorumque locutionem pro-

babile est sitam esse in speciebus, quas sibi mutuo imprimunt; loqui autem est signis quibuldam animi sentia exprimere: species ergo in signis sunt numerandæ. Tum etiam, fumus v. g. iuxta omnes est signum ignis, quia in huius cognitionem ille prius cognitus perducit: Qui ergo cum B. Thoma q. 20. de verit. art. 4. & Caietano 1. p. q. 56. Calio Rhodigino lib. 15. lectionum antiquarum cap. 1. & aliis in physica referendis in ea sententia fuerit, ut putet, speciem impressam non nisi ut prius cognitam ducere in cognitionem sui obiecti, is qui negare poterit tali speciei rationem signi: Deinde species impressa est imago, & similitudo obiecti, ut vel ipsum nomen speciei demonstrat, utque colligitur ex Aristotele lib. de mem. & reminiscencia, Augustino lib. 8. de trinit. cap. 8. B. Thoma 1. contra gent. cap. 53. Ferrariensi indidem & ceteris communiter scolasticis: At quidquid est obiecti alicuius imago, & similitudo, eiusdem est & signum. Tandem species impressa, quin sit potentia eam informat, ducitque ad rei notitiam, & cognitionem: eam ergo potentia significat.

15 Dubitabis octauò, qua ratione differat signum formale ab instrumentali: utrumque enim recipiunt, tum neoterici ferè omnes, tum antiquorum plerique præsertim verò ij, quorum paulò supra in dubitatione sexta meminimus. Arriaga in præfenti definit signum formale esse, quod sine sui cognitione, & signum instrumentale, quod prius cognitum in alterius ducunt cognitionem. Contra tamen primò. Diuina cognitio sui ipsius signum formale est, iuxta hunc etiam authorem: & tamen sine sui cognitione alterius notitiam non parit, quum omnis cognitio diuina semetipsum essentialiter cognoscat; id quod non pauci ad cognitionem omnem etiam creatam extendunt. Rursus iuxta eundem, alio que cum eo non paucos, species impressæ, quin cognoscantur, significant: eas tamen haud esse signa formalia, sed instrumentalia aduersarij existimat. Alij ergo tradunt omne signum, ut tale sit, prius quam aliud cognosci faciat, seipso tenus oportere cognosci: proinde si quod cognoscitur sit cognitio, tum existere signum formale; sin autem aliud à cognitione, id rationem signi instrumentalis obtinere. Sed contrà, quoniam ita cognitio, vbi re flexe non cognoscitur, nec erit formale, nec instrumentale signum, sed inter signa nullum omnino locum habebit: quod, etsi aduersarij concedunt, falsitatis tamen est iam euictum, iis certè, quæ in dubitatione sexta per totam sunt adducta. Signum ergo formale est, quod in formando potentiam ei facit, aliquid innotescere, ut cognitio, speciesve expressa, necnon etiam impressa si forte datur, qualem putant per plures dari. Signum instrumentale est, quod facit rem innotescere potentia, non tam informando illam, per se loquendo, & muneris sui ergò, quam eius cognitioni, & extrinsecæ velut informationi subiaccendo, ut fumus respectu ignis, vestigium gratia animalis, essentia Angeli intuitu creatoris, in cuius notitiam euehit, non tanquam species, aut cognitio, sed tanquam obiectum prius cognitum, ut colligitur ex Magistro in 2. dist. 3. Bonauentura ibidem p. 2. art. 2. Richardo de Media-villa in 2. dist. 4. art. 1. quæst. 1. Baffoli quæst. 3. art. 2. Nimpho 12. Metaph. q. 12. B. Thoma 1. p. q. 54. art. 1. Molina ibid. parum ab initio articuli. Vasquio quoque cap. 2. Conimbricensibus vbi supra q. 2. art. 3. sect. 3. Greg. in 2. dist. 7. q. 2. & dist. 3. q. 2. art. 2. conclus. 1. Marsilio in 2. q. 7. art. 1. secunda parte conclus. 2. Francisco Amico de Angelis disp. 8. sect. 1. n. 5. vbi ait contrariam

contrariam sententiam à tota Academia Parisiensi damnatam. Quæ testimonia idcirco congeffi, quia defunt, qui Angelo essentiam suam esse censent signum formale, quo Deum, aliaque obiecta cognoscit.



TRACTATUS II.

De signo naturali, & arbitrario.

CAPVT I.

Per quid differant inuicem signum naturale, & arbitrarium.

I  **IGNVM** esse diuidendum in naturale, & arbitrarium auctor est Aristoteles 1. de interpret. cap. 1. Augustin. lib. 2. de doctrina Christiana cap. 2. Magister in 4. dist. 1. & cum illis omnes scolastici: vt operæ pretium non sit, eos sigillatim referre in confirmationem adeo celebris, confessæque diuisionis. Signum naturale est, quod ex natura sua, & per se rem representat, vt cognitio obiectum cognitum, effectus causam, cuius est imitatio, causa è contrario effectum, quem sibi similem producit. Signum arbitrarium, vel ad placitum, aut ex instituto est, cui extrinsecus, & ex hominum Deivè ipsius institutione, & arbitrio conuenit, quod quidpiam significet: vt hæc vox, *homo*, respectu animalis rationalis, cui representando ita destinata est, vt si libuisset hominibus belluam significaret, aut lapidem.

2 Potissima autem præsentem circa diuisionem difficultas est, quidnam sit illud, in quo consistit signum arbitrarium, & à naturali dissidet? Bonauentura in 4. dist. 1. q. 2. Scotus ibidem, Petrus Bruzellenfis in prædic. q. 1. art. 5. pluresque Thomistæ, quos suppressis referunt nominibus Hurtadus, & Arriaga inferius significationem arbitriam volunt esse sitam in relationibus quibusdam entitati vocum, aut nutuum superadditis. Cæterum diuisi sunt hi auctores: alij enim contendunt, relationes eas esse rationis solius, & duntaxat ficitias: alij reales, seu prædicamentales quosdamque modos positiuos vocibus, aut nutibus inexistentes: alij denique, esse modos, nec solius rationis, nec reales, aut physicos sed morales, & medios.

3 Cæterum quod imprimis significatio vocum (par autem est ratio, quorumuis aliorum signorum ex instituto) haud ponenda sit in relatione vlla ficitia suaderetur primò: quia Deus plura ad placitum instituit, vt cum Genes. 9. iridem esse voluit signum fœderis inter se, & genus hominum: at Deus fingere non potuit: significatio igitur arbitraria consistere nequit in relatione ficitia, & commentitia. Rursus hæc vox, *leo*, significare potest animal rugibile, præscindendo certè ab omni ficitione, & errore: quæ enim in hoc repugnantia terminorum apparere potest, quid incommodi?

4 Deinde, quod non sit constituenda significatio arbitraria vocum, aut rerum in relatione prædicamentali realiue superaddita probatur primò. Si significatio isthæ in modo reali consistit, qui significationem voci impertit, is in ea modum illum realem producat, necesse est: alit eum producere ne-

quit: siquidem primus linguæ cuiusque parens vocibus (etiam futuris significationem impertit: modum autem nullum in eis producit: quando namque? an anteaquam proferantur) & sic modus existit sine subiecto suo, eiusque existentiam actualem minimè postulabit, quo nil magis absurdum: an cum proferuntur longo post tempore? atque ita auctor idiomatis vita functus, & non exiens poterit nihilominus causare, & operari; quod etiam est absolum, & minime concedendum. Adhæc, similitudo naturalis, & physica, merito cuius vna res alij similis in modore aliter distincto sita non est, vt lib. 3. met. tract. 6. aduersus Thomistas probandum est: ergò nec similitudo, seu representatio arbitraria, quæ vocem facit obiecto similem, eiusque imaginem: omnia enim argumenta, quæ contrà priorem similitudinem modalem obicienda sunt in loco contrà posteriorem eandem habent energiam, ac vim.

Vltèrius aduersariorum aliqui præsertim Caietan. 1. p. q. 28. art. 1. Ægidius in 1. dist. 27. q. 3. & Scotus quodlib. 13. artic. 3. quò melius suam defendant sententiam, & cohærentius procedant. conceptum mentis nostræ volunt, non per seipsum sed per relationem sibi realiter superadditam esse signum sui obiecti. At hoc est ipsa, vt sic dixerim, falsitate falsius: conceptus enim noster seipso cognoscit obiectum suum, & quin illud cognoscat, esse non potest de potentia Dei absoluta: ergò & per se illud essentialiter significabit. Cui denique per entitatem quandam moralem, inter ens reale, & rationis median, explicant significationem arbitriam vocum, eademque ratione dominium, debitum, subiectionem, adoptionem, & alia similia explicari posse arbitrantur, me iudice in modos modòvè Thomisticos fermè labuntur, & impugnationibus aduersus eos fieri solitis obnoxij sunt: nulla autem melior, aut validior, quam inutilitas illius inintellegibilis entitatis, & quod ea sine significatio vocum optimè potest enucleari, vt ex infra dicendis clarebit.

6 Alij ergò docent, significationem arbitriam, & ex instituto non consistere in relationibus vllis, sed in fundamento relationum, quales ea cunque sint, & siuè reales, siue rationis, siue physica, siue morales, siuè distinctæ, ac superadditæ, siuè omnino indistinctæ, aut, quod perinde est, in aggregato per accidens ex entitate vocis, & voluntatis imponentis, & instituentis illam moraliter perseverante, & non retractata, aut quod eodem etiam redit, in denominatione quadam extrinseca duas illas res complectente. Ita Rodericus de Arriaga disp. 13. log. sect. 1. Franciscus Alfonsus lib. 5. institut. dialecticarum cap. 9. n. 10. ad finem. Compton. disp. 41. log. sect. 2. n. 1. Petr. Hurtadus disp. 8. log. sect. 2. §. 8. Franciscus de Ouedo controuerf. 8. log. punct. 2. Idem etiam indicant Alexander Alensis 4. p. q. 1. in 1. Ledesma 1. p. q. 1. art. 2. dub. 3. & alij antiquiores.

7 Quominus tamen hæc mihi ardeat opinio, duo faciunt argumèta: Primum sic habet. Si significatio vocis, quæ ea cunque sit, in aggregato per accidens collocetur, certè non poterit nõ consistere simul in voce, & voluntate imponentis non retractata, nec non ipsa re, cui imponitur, & accommodatur. Sequela probatur: quia similitudo naturalis non in solo fundamento, & ratione fundandi, verum etiam in termino iuxta aduersarios formaliter consistit: similiter ergo similitudo artificialis, siue arbitraria non in sola voce, & ratione fundandi, nimi-

rum imponentis voluntate, sed etiam in re significata formaliter consistit: tum etiam, quia paternitas iuxta eisdem, non in sola substantia patris, & actione præterita verum etiam in filio intime sita est: pariter ergo significatio vocis, qua cognitionem quodammodo parturit non in sola voce, & voluntate præterita eam instituentis, sed etiam in ipso obiecto quidditatiuè consistit. Consequens autem est in primis contra eos, quibuscum disceptamus. Deinde est per se, ac sponte sua absurdum: nam si consistit formaliter significatio vocis in ipsa, & voluntate primi institutoris, & obiecto, hoc item significari per vocem in iisdem tribus conceptibus formaliter situm erit: quapropter habitudo vocis ad rem significatam, & huius ad vocem erit omnino eadem: ac proinde, & vox significabit ex instituto seipsam, & res significata per vocem eodem modo à seipsa significabitur; haud secus ac si relatio similitudinis physica consistat formalissimè in utroque extremo fieri non poterit, quin Petrus v. g. sit similis prædicamentaliter sibi ipse, necnon Paulus sibi etiam ipsi eadem ratione, eademque de causa: quam expendere non est huius loci: eam vide si libet in Metaph. lib. 3. tract. 6. cap. 17. Non me latet, huius rationis vim declinari, si significatio vocis ita in iis tribus realiter consistere asseratur, ut ab iis virtualiter, aut iuxta aliorum phrasim formaliter distincta statuatur: sic enim alia formalitates assignari poterunt significationi actiue, & alia ei quæ dici solet passiuæ, prout ad vtriusque distinctionem aliquam satis est, adeoque ad vitandum incommodum, quod inferebatur paulo supra.

At enim eum qui sic disputauerit nihil opinor est, quod tutum præster à vi secundi argumenti, quod sic efformo. Belluæ signa ad placitum percipiunt: Nonne quotidie cernimus, canes nomina sibi imposita agnoscere? nonne voces, quibus ad prædam sequendam incitantur, ad hosti, aut ignoto oblatrandum sollicitantur, intelligere? nonne innumeros natus ex solo arbitrio significantes percipere? Porus teste Curtio elephantum habebat, qui procumbebat in genua, & se submittebat ad rectoris iussum, & imperium. Merthes Ægypti rex authore Rauisio cornicem habuit, quæ, quocunque vellet, ac iussisset ille, ferebat epistolas. Vrsam quoque mandanti Pythagoræ, ut sese abderet in latebras sylvarum, & nullum cunctorum laderet animalium paruisse prodit Cælius. ex veterum historiis ac monumentis: Quæ, & similia, si vera sunt, id arguunt in feris aliquam esse signorum ex instituto notitiam, & intelligentiam rudem saltem, & imperfectam. Porro si dicere, aut docere non possumus homines sine vsu, & cognitione horum signorum, qui fieri potest, ut absque eorum præsidio constet disciplina belluarum, cuius equidem non pauca sunt capaces. Elephantes enim discunt choreas agitare, & alterno terram pede artificiosè quaterere; imo etiam per funes incedere: fuitque, quod plus est, qui si fides habenda sit grauissimis authoribus, Græcarum litterarum ductus didicerit, atque hæc scripserit, *ipse ego hæc scripsi & spolia Cælica dicaui*. Paria referuntur de Cynocephalis in Ægypto. Psittacus hominum discit imitari voces, ut quotidie experimur: Id ipsum etiam legitur de turdo, quem habebat in deliciis Agrippina Claudij Cæsaris vxor. Ferunt item multi, quos inter Plinius lib. 10. cap. 43. Romæ fuisse coruum vsque adeo affectum humano sermone, ut matutinis omnibus in rostra deuolans Tiberium, Germanicum, & Drusum Cæsares nominatim, ac deinde populum salutarer. Quæ cum ita sint dubitari non potest, quin belluæ,

ac feræ signa ex instituto, & arbitraria calleant, ac dignoscant: atqui voluntatem ea signa instituentis non percipiunt: significatio igitur ad placitum in ea voluntate minimè consistit: minor probatur, belluæ nil spirituale percipere possunt, ut fatentur omnes Theologi disputantes, an Deus oculis corporeis diuinitus conspici possit, & quod nequeat vnanimi consensu statuentes: voluntas autem, qua de agimus in præsentia est spiritualis, & incorporea ritu potentia, à qua promanat. Nec verò quicquam proderit, si quis fingat, significationem arbitrariam non formaliter in voluntate instituentis, sed in aliqua formalitate, aut relatione ab ea virtualiter, ac rationis beneficio distincta consistere: hæc enim formalitas seu relatio spiritalis est, non secus atque voluntas, qua cum identificatur: belluis ergo est imperceptibilis, ac supra earum comprehensionem.

Alij aliter prædictam confutant sententiam, & primo sic. Obiectum voluntatis instituentis vocem ad quidpiam significandum vix aut ne vix quidem intelligi, aut explicari potest, ubi significatio vocis instituta voluntatem instituentem essentialiter includat, atque in se cohibeat: Cedo enim inquirunt, quodnam sit illud obiectum, quid ea voluntas aliud velle potest, quam ut talis vox talem rem significet? hoc autem, quod est vocem ita significare, ipsam importat voluntatem non retractatam, ac moraliter perseverantem: hæc ergo seipsam dari volet. Ecquid autem esse potest minus vtile, & accommodatum ad tribuendam voci significationem, quam affectus, qui præter tendentiam in vocem, & rem secundum se non aliam habet, quam quæ subiicitur his voculis *volō meipsum*? Quo igitur huic incommodo non sit locus, significatio cuiuslibet vocis non tam in voluntate institutoris, quam in aliqua relatione, aut modo poni debet. Hoc argumento multum premi multos aduersariorum video. Sed & video, hunc in modum ei facile posse satisfieri.

Triplex est significatio cuiusque vocis: alia in actu primo remoto, quæ est mera non repugnancia vocis, ut rei accommodetur alicui: alia est in actu primo proximo, quæ facit, ut vox ab homine prolata eo ipso ducere valeat in cuiusdam rei scilicet subiectæ notitiam, & cognitionem: alia demum est in actu secundo, merito cuius vox non tantum potest ducere, sed actu ducit snum auditorem ad rem aliquam percipiendam, efficitque, ut talis obiecti talis cognitio, ut in loquente supponitur, sic etiam in audiente sequatur. Voluntas ergo instituentis, ac veluti animantis vocem non habet pro obiecto primam significationem, propterea quod hæc ab illa sit independens, & voci essentialis, nec pro obiecto fortitur secundam significationem, ut contrarium suadet argumentum: sed eam solummodo constituit: tantum ergo fertur velut in obiectum in tertiam, ac postremam significationem: non igitur in semetipsam præcisè, adeoque non sequitur id absurdi, & incommodi, quod inferebatur in argumento.

Urgebis tamen. Voluntas institutoris eam habet pro obiecto significationem, respectu cuius est efficax, seu quam efficaciter voci impertit: atqui non est efficax intuitu tertiæ significationis, quando supposita illa, dataque adhuc in potestate audientium fuerit, talis rei talem cognitionem in se excitare, vel non excitare, ac principis decreto obedire, vel contra stare: ea ergo voluntas tertiam significationem moraliter, aut physice non habet, nec habuit. Respondeo: voluntas illa eam pro obiecto sibi vendicat significationem, cuius gratia est

est efficax, si acceptetur ab iis, quibus innuitur, & intimatur: nec enim sola ea secundum se, sed ea ut denunciata, & recepta, atque probata voces significatiuas reddit: at prout ita sumpta efficaciter, & ineluctabiliter infert significationem in actu secundo, eamque voci communicat.

12. Ceterum insistes ulterius. Significatio in actu secundo claudit voluntatem imponentis vocem: hæc ergo voluntas, si velut obiectum sibi præstituit significationem in actu secundo, semetipsam, suamque existentiam physicam, aut certe moralem pro obiecto, seu termino fortietur: Antecedens suadetur: haud enim de consequentia potest esse dubium: ut vox in actu secundo significet, haud satis est, ut ea simul editur talis statim cognitio talis obiecti in audiente cieatur, & sequatur, alioqui quauis vox quoduis significabit obiectum; sed oportet ut ea cognitio vi vocis excitetur: vox autem eatenus accendere potest notitiam illam, quatenus significat in actu primo proximo: hæc igitur significatio in actu primo, ac proinde voluntas instituentis, per quam constituitur, nequit non inuolui in significatione in actu secundo, quod erat antecedens probandum. Respondeo: voluntas imponentis haud vult significationem in actu secundo, penes omne id quod includit, vel connotat; id enim esset semetipsum velle: sed tantum vult significationem in actu secundo, secundum id quod dependet à significatione in actu primo quasi efficienter, non tamen reduplicatiue, & in quantum dependet, ne semetipsam velit, contra fortassis quam necesse est, aut vtile. Quid? quod non est improbable, fieri posse sine vilo incommodo, ut ea voluntas, de qua lis, seipsam habeat pro obiecto inadæquato, & indirecto, sicut Angeli creatio, ubi sit in volitione Dei posita, semetipsam pro obiecto, inadæquato & indirecto respicit.

13. Secundò alij eandem impetunt sententiam hoc ariete. Homines vulgo percipiunt signa ad placitum: atqui voluntatem institutoris linguæ non retractatam, & moraliter perseverantem non cognoscunt: neque enim sciunt, nisi eorum pauci, quid sit moraliter perseverare prædictam voluntatem, quod namve sit eius obiectum, aut quæ qualivè sit ipsa ex modo tendendi in obiectum suum, anve significationem arbitriariam vocum constituat? quod indicio, ac signo esse potest, illam non inuolui in signis ex instituto ut talibus, aliàs his perceptis necesse esset, eam optime calleri.

14. Respondet in vberiore editione Petr. Hurtadus, non posse sensu percipi album materiale sine albedine, quoniam hæc est tota ratio illius videndi, ac sensibilibiter percipiendi: at album materiale intellectu posse cognosci absque albedine: proinde posse similiter cognosci signum arbitrium materiali-ter sumptum, quin reduplicatiue, & quoad significationem, ac voluntatem institutoris debeat percipi: atque hoc sufficere ut in alterius notitiam ducat. Sed profectò non sufficit: Quid enim mihi prodest percipere entitatem vocis, nisi ad quid sit instituta, & imposita, mihi subluceat? & certè alioqui qui nunquam Græcè didicit, Græcè loquentes intelliget. Verumenimverò, quantumvis ut supra non bene solvatur argumentum, non idcirco tamen ei succumbendum est ab aduersariis. Qui respondere possunt, si velint, voluntatem, de qua quæstio, quoad eius naturam, proprietates, ac principia clarè, & distinctè non oportere cognosci ab eo qui significationem vocis percipit, quantumvis in eius significatione inuoluatur illa, sed satis esse, ut ab eo

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

cognoscantur confusè, implicite, & solum quoad effectum formalem reddendi vocem significatiuam ex instituto. Hoc autem pacto quis est, qui eam non norit? Et quidem argumentum contrarium id habet vitij, ut nulli sententiæ eandem non facessat difficultatem, nisi fortassis nostræ, de qua haud ita post: Etenim vulgus hominum idioma quoque suum caller optimè, & tamen nescium passim est relationum earum rationis, nec non realium, atque entitarum moralium, in quibus alij, alique vocum significationem collocant.

15. Ipse arbitror, vocem constitui significatiuam ad placitum per speciem quandam impressam talis naturæ, & genij, ut statim, atque auditur, in talis obiecti talem cognitionem rapiat: cuius rei gratia notandum est primò, voluntatem Principis, qua statuit, ut audita quadam voce, certæ cuiusdam rei certa ac destinata cognitio in audiente excitetur, & in pronuntiante supponatur, efficere posse, ut semper audita ea voce talis habeatur cognitio: ea enim voluntas lex quadam est: cur ergò à subditis acceptata, & à Principe non retractata respectu sui obiecti efficax esse nequeat? Notandum est secundo, ea, quæ simul cognosci assolent, ita comparata inuicem esse, ut species impressa vnus in alterius cognitionem ducat, & alterius excitet speciem: sic audita prima syllaba totius illico dictionis, & audita prima dictione totius statim sententiæ reco damur: Quocirca, cum supposita institutione vocis, ea prolata, & audita talis obiecti conceptus semper supponatur, & excitetur, & quod consequens est, agnita tali voce talis conceptus talique obiectum simul cognoscitur, non erit, cur species eius vocis in talis conceptus, talisque obiecti notitiam non ferat. Hæc ergò species impressa ei, qui vocem audit, eam ad placitum significatiuam constituit. Proinde quod significatio vocum arbitraria, & ad libitum dici soleat, non ideo est, quia in arbitrio, & libito hominum formaliter consistit, sed quia ex eo quasi efficienter deriuatur.

16. Hæc sententia probatur primò: quoniam reliquæ quæ circumferuntur difficultati non satisfaciunt. Deinde per id est significatiua alterius vox aliquas, per quod in alterius notitiam ducere potest: atqui per speciem impressam proximè explicatam alterius intelligentiam, & cognitionem parere potest. Præterea in hac sententia est perquam facile explicatu, quatenus voces, & nutus belluis ad placitum significare possint, quantumvis belluæ significationem arbitriariam vocum, & nutuum formaliter non percipiant, quod authores aliarum sententiarum non præstant, nec possunt: Sicut enim, ut cognoscam aliquod obiectum, necesse non est, ut ipsammet cognitionem meam cognoscam, sed satis est, ut cognitio mihi insit ad hoc ut ea mihi obiectum representet suum; sic similiter, ut voces nutusve belluis ad placitum significant, non oportet, ut significationem arbitriariam vocum ex formaliter percipiant, sed satis superque est, ut ea significatio pro formali eis insit: At iis inhaeret, cum in specie impressa quidditatiue, & essentialiter consistat, pro eo atque explicatum, & declaratum manet.

17. Duo tamen sunt nostræ sententiæ nonnihil negotij facessitura, nisi explanetur Alterum eorum sic se habet. Omne signum ex instituto est instrumentale, & nullum est formale: si quod enim esset huius posterioris generis, maximè species expressa, aut impressa, quas tamen, non ex instituto, aut placito alicuius, sed potius suapte natura significare exploratum est: quamobrem ex eis haud conficitur, signum aliquod

arbitrarium esse formale: omne igitur, ut iam iam dictum, est instrumentale: hoc autem eius est natura, & conditionis ut nisi ut prius cognitum non significet, nec veluti manu ducat in alterius cognitionem: perperam ergo deliberatum est à nobis, vocem ex institutione, & impositione belluis significare, quin prius eius institutio, & impositio, & significatio ab illis quodammodo cognoscatur. At profecto signum arbitrarium, siue ad placitum non posse munus exercere suum, aut in alterius ducere cognitionem, nisi sit aliqua prius de eius impositione notitia docere videntur Augustin. in lib. de magistro, & cum eo Scotus in 4. dist. 1. q. 5.

18

Respondeo, signum instrumentale prius quidem debere cognosci, quam in cognitionem alterius conferat; ceterum opus non esse, ut ita præluceat quoad ipsam eius impositionem, aut significationem, sed satis superque esse, ut quoad suam entitatem, & penes id quod in eo est signum. Augustinus autem (quidquid sit de Scoto) hoc tantum vult, impositionem vocis instrumentaliter, & arbitrariè significantis oportere præcognosci, non formaliter, sed æquivalenter, quod perinde est, atque, quin verè cognoscatur, quia tamen eius effectus, nimirum significatio, audienti inexistit, eodem modo se habere in ordine ad cogendam obiecti sui notitiam, atque si reapse perciperetur: Hoc autem ultro largior; imò & paulo supra largitus sum, ubi aduersus P. Petrum Hurtadum dissererem, eiusque quandam impugnarem solutionem. Nihilominus hoc quod concedo minimè quidem obest nostræ sententiæ: quippè, quæ tota procedit de perceptione formali, & vera impositionis, & significationis arbitrarie, eamque, & non virtutalem, siue æquivalentem aut in actu exercito sumptam negat esse de ratione signi vllius instrumentalis. Hæc quamuis ita sint, diffiteri non possum, voces plerumque quoad earum significationem, & impositionem formaliter, & in actu signato etiam implicito, & confuso nobis innotescere, dum nobis aliquid significant: At hoc (quod fortasse, & non aliò respexere Augustinus, & etiam Scotus) nec generale est, sic ut ad belluas etiam, & feras possit extendi, nec in nobis etiam semper vsuuenit.

19

Alterum quod potest nobis obiici est, nullas esse species impressas in intellectu, aut sensu, adeoque frustra per illas explanari significationem arbitrarie vocum nutumque. Sed communior hac tempestate opinio est, eas dari. Deinde licet mihi sat probabile videatur, eas haud esse admittendas, quales illas adstruunt nunc innumeri Philosophi, ne dicam omnes, ut scilicet sint qualitates vicariæ obiectorum, atque ad cognitionem omnem exercendam simpliciter necessariae, ceterum omnino tenendum reor, alio sensu posse, ac debere eas recipi, nimirum si sint non aliud, quam facilitates quædam ex actibus relictæ ad eos iterum promptius, & expeditius meditandos. Eæ porro sic sumptæ, in intellectu quidem tum habitus, tum species impressæ dici sistent, in sensu verò nostro belluinoque, quæ est in utroque illarum imperfectio, & immaterialitas, solummodo species, nec tam habitus, quam imitationes quædam, & simulamina habituum.

CAPUT II.

An voces nostra inter signa arbitraria vel potius naturalia sint recensenda?

20

A Sfero primo. Significatio nominum omnium, siue ea sint primitiua, siue deriuatiua est ad

placitum & arbitraria. Ita Arist. 1. de interp. c. 1. sic inquiens; atque uti non eadē sunt apud homines litteræ sic neque voces eadem sunt. Atqui voces non esse easdem apud omnes perinde est iuxta Aristot. ut eum in præsentī omnes interpretes exponunt, atque illas non ex se, & natura sua, quæ ubique gentium & quocunque tempore est inuariabilis, & eadem, esse significatiuas, sed potius ex arbitrio, & impositione hominum illis aliter, aliterque vtentium. Clarius idipsum docet cap. 2. ibi: nullum nomen est signum natura, sed cum est positum: nec non cap. 4. ibi: oratio omnis significatiua quidem est, at non ut instrumentum, sed ut institutio. Eiusdem etiam sententiæ est Aristotelis magister Plato, in Cratylo hæc in verba; necesse est consuetudinem aliquid conventionemque coniscere, conferreque ad eorum quæ sentimus, & loquimur expressionem: Nam si velis optime vir ad numerorum considerationem descendere, quo pacto speras, adeo propria reperitur te nomina, ut singulis numeris simile nomen attribuas, si non permiseris concessionem tuam, conventionemque auctoritatem aliquam circa nominum rationem habere. Et ibidem infra; mihi quidem & illud placet, ut nomina, quoad fieri potest, rebus similia sint. Vereor tamen ne forte, ut dicebat Hermogenes, tenuis quodam modo sit istius similitudinis usurpatio, cogaturque & onerosa hac re, conventionem scilicet, vi ad rectam nominum rationem. Eadem in opinione quoque sunt ceteri omnes philosophi, demptis antiquissimis nonnullis, quorum postea meminero.

21

Et quidem iure merito in ea omnes consentiunt. Perpetua namque & quotidiana liquet experientia, quodlibet vocabulum cuiuslibet imponi posse rei, nullamque rem esse, quæ non possit cuiusque subesse vocabulo. Rursus si vocum significatio est naturalis, nec eis ex arte, & consulto data, profecto omnes omnia callebunt idiomata, quantumvis peregrina, & nusquam antè audita: haud secus atque naturaliter omnes ex visione fumi in ignis, quem non vident, notitiam perueniunt. Quorum ergo Paulus 1. ad Corinth. 12. ad spiritus sancti gratiam reuocat, quod alij dentur generalium alij interpretatio sermonum: Quorum etiam ut refertur in actibus apostolicis cap. 2. Iudeorum multitudo ex omni natione, quæ sub cælo est, mente confusa fuit, quoniam audiebat unusquisque lingua sua loquentes Apostolos? Quorum stupebant omnes, & mirabantur dicentes, nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt, & quomodo nos audiimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus, Parthi, & Medi & Ælamitæ, &c. Certè ex contraria sententia fiet, nihil hæc & similia miraculi, nihil habere supra naturæ cursum, nihil quod eius vires superet.

22

Assero secundò. Voces primitiue non paucae omnino arbitrarie significant, omnique peculiari in rebus fundamento ad has potius quam illas representandas carent. Probatur in primis ex Augustino cap. 6. dialecticæ ubi sic ait; innumerabilia sunt verba, quorum ratio reddi non possit. Aut non est, ut ego arbitror. Aut latet, ut Stoici contendunt. Vltius secundò. Litteræ scriptæ, seu characteres, cum sint primitiue, nec aliæ deriuantur ab aliis, nullum tamen habent fundamentum, cur ita potius quam aliter significant. Quo enim fundamento scriptio apud Græcos significans elementorum omnium primum, Alpha scilicet, illud potius quam Omega, Omicron, aut Gamma significat? Similiter ergo in præsentī &c. Denique à priori. Potissima ratio Stoicorum huic secundæ assertioni nostræ potissimè aduersan-

tium

tium est, quia saltem asperitas, & lenitas litterarum, earumque diuersa pronuntiatio, & qualitas talis est, ut semper conueniat rei significatæ. Hoc autem falsissimum est: tum quia quodlibet nomen primò imponi potest ad quidlibet significandum; at nò cuiuslibet cum quolibet est proportio, atque conuenientia: tum etiam, quia quæ vox primitiua lenior quam leo: quæ tamen truculentissimum significat animal: aut quæ tumidior, magisque inflata, & grandistrepida quam salamandra: cum tamen animalculum ea significatum satis paruum, minutumque sit, nec lacerti magnitudinem excedat.

23 Affero tertio. Multa etiam nomina deriuatiua, & aliunde quodammodo translata nullo sine particulari in rebus fundamento significant. Ita Plato in Cratylo his verbis. *Nomina quidem heroum, atque hominum nos fortè decipient: horum namque multa secundum cognomena maiorum posita sunt, & sæpe nequaquam conueniunt, quemadmodum in principio diximus. Multa verò ex voto homines nomina tribuunt uti Chidm, Theophilum, aliaque permulta. Talia itaque pratermittenda censeo.* Hæc ille. Certè non omnes, qui Chrylostomi aut Chrysologi in horum Doctorum vocantur honorem, aurea ob id sunt eloquentia præditi; nec omnes, qui appellantur Ioannes, gratia abundant; nec denique, ut Platonis utamur exemplo, omnes Theophili dicti Deum amore prosequuntur. Quæ cum ita sint, perspicuum est nomina secundario imposita non semper cum fundamento alicuius cum rebus suis conuenientia, & similitudinis significare. Ac propterea nò dixit ille, conueniunt rebus nomina quæque suis: sed conueniunt rebus nomina sæpe suis.

24 Affero quartò. Multa nomina, tum primitiua, tum deriuatiua, ita instituta sunt, ut habeant fundamentum aliquod in rebus ipsis, idque destinatum, & speciale: haud enim est vsipiam in toto hoc capite sermo de fundamento generali, & cuiuslibet voci dearticulatæ, hoc ipso quod talis sit, communi. Suadet autem assertio quoad nomina primitiua. Ecquis enim non videat, cum dicimus æris tinnitum, bouum mugitum, equorum hinnitum, leonum rugitum, ouium balatum, tubarum clangorem, stridorem catenarum, ita has voces primitiuas sonare, sicut res, quæ iis subiiciuntur. Ecquis non videat, has voces radicales, ut sic dixerim, mel, lene, lana, voluptas ea suauitate auditum tangere, quæ res ipsæ gustum, tactumque afficiunt; contra verò has, crux, a'perum, vepres, acre, & alia id genus ipsomet sono asperitatem exprimere rerum significatarum. Præclare quidem ut solet Plato in Cratylo; si voce & lingua caruissemus, voluissem usque res inuicem declarare, nonne, perinde ac nunc muti, manibus, capiteque, ac cæteris membris significare tentauissemus. Ergò supernum quippiam, ac leue demonstraturi calum versus manum extulissemus, ipsam rei naturam imitantes: inferiora verò, & grauiora deiectione quadam humi innuissemus. Quin etiam currentem equum, vel aliud quicquam animalium indicaturi corporum nostrorum gestus, figuræque ad illorum similitudinem quam proximè quisque sinxisset. Postquam verò voce, lingua, & ore declarare voluimus, nonne ita demum per hac ostensio fiet, si per ea circà quodlibet facta fuerit imitatio. Nomen itaque est, ut apparet, imitatio vocis, quæ quisque aliquid imitatur, per vocem imitatur, & nominat. Et indidem inferius. An picturam aliquis quandoque rei cuiusquam similem effinxisset, nisi colores ipsi, quibus constat imago, essent naturæ rei illius similes, quam pictoris studium imitatur? Eadem ratione nomina ipsa nunquam alienius similia fierent, nisi illa, quibus no-

mina componuntur, similitudinem aliquam haberent earum rerum, quarum nomina imitationes sunt. An rectè tibi dicere visi sumus, quod ipsum R. lationi, motui, asperitati congruit, ipsum autem L. leni, & molli, & cæteris quæ narrauimus. Huc faciunt etiam quæ ex P. Nigidio assertit Aulus Gellius lib. 10. noctium atticarum cap. 4. *Vos cum dicimus motu quodam oris conueniente cum ipsius verbi demonstratione utimur, & labias sensim primores emouemus, ac spiritum atque animam porro versum, & ad eos, quibuscum sermoci-namur, intendimus. At contra cum dicimus, nos neque profuso, intempe quæ statu vocis, neque proiectis labiis pronuntiamus, sed & spiritum, & labias quasi intra nos metipso coercentur. Hoc idem fit & in eo quod dicimus, tu, & ego, & tibi, & mihi: Nam sicuti cum aduimus, & abnuimus, motus quidem ille, vel capitis vel oculorum à natura rei, quam significat, non abborret, ita in his vocibus quasi gestus quidam oris, & spiritus naturalis est.*

25 Quod attinet ad nomina aliunde ducta, nostra quidem assertio haud est minus perspicua: Probaturque in primis ex Augustino in dialect. cap. 6. Hæc verba, si quæ alia, sunt deriuatiua; vinculum, vincio, vinco, violentum &c. Eorum autem cum sono res ipsæ aliqua similitudine concinunt, congruuntque: v, namque locum in eis habens consonantis validum, crassumque sonum edit; nec tantum in illis, eorumque radice, v, sed vbius aliàs: quo fit, ut libentius dicamus, amasti, quam amauisti, abiit, quam abiuit, &c. euphoniæ scilicet gratia. Idem suadet ex Platone in Cratylo toties citato: ait enim ibi Hectorem rectè, & cum fundamento ita nominatum, quoniam ἥτορ Græcè perinde est, atque possessor. Hector autem Troiam, quam tamdiu seruauit, hoc ipso possedit, ab eiusque possessione Græcos arcuit. Deinde Astianacta congruè ita appellatum: anax enim perinde est ac rex, & alti, idem quod vrbs: Decet ergò (ait Plato) ut videatur prorectoris filium nominare Astianacta, id est regem vrbs, vrbs inquam eius, quam pater ipse seruauit. Ibidem etiam inquit, Orestem ita dictum non ineptè à ferina eius natura, agrestique, & montana: Agamemnona ab eius tolerantia, & apud Troiam perduratione, tanto cum exercitu: Atrium à moribus noxiis, & quod, ut patuit in nece Chryssippi, & crudelitate aduersus Thyesten, indomitus fuerit, contumeliosus, inexorabilis, & perniciosus: Pelopen à pelos, id est propè, & opis, quod ad visionem pertinet, eò quod in Mirtili cæde prouidere nihil potuerit, neque eminus prospicere, quanta toti generi ex hoc calamitas immineret: Quæ enim (ait Plato) ante pedes erant, & ad præsentia respiciebat: hoc autem est propè aspicere, quod & fecit, cum Hippodamia coniugium omni conatu inire contendit: Denique Tantalum ita meritò vocatum, quasi talantaton, id est infelicitissimum: nullus enim eo viuò, nullus mortuò infelicior est creditus.

26 Afferò quintò, & vltimò. Aliquod institui potest idioma, cuius nullum vocabulum non habeat fundamentum in rebus, & aliqua cum eis destinata similitudine non conueniat. Quando enim idiomatum, quibus nunc utimur, plura sunt verba ita comparata, quid est quapropter aliquod esse nequeat id genus verbis omnino coalescens? Et quidem Plato in Cratylo doctissimè, & elegantissimè rectam rationem præcipuorum nominum reddit; plerorumque videlicet heroum, deinde hominis in commune, tum quoad eius corpus, & animam sigillatim, tum quoad illius essentiam, ac totalitatem: rursus Iouis, Neptuni, Plutonis, Saturni, Ve-

ita, Rheæ, Ceteris, Dianæ, Liberi, Mercurij, Apollinis, Mineruæ, Vulcani, Martis, Proserpinae, aliorumque numinum, aut potius de aëtorum; necnon etiam Musarum, & quæ ab eis deriuatur musicæ; præterea solis, lunæ, aëtorum, ignis, aëris, aquæ, terræ, virtutis, prauitatis, iustitiæ, prudentiæ, fortitudinis, temperantiæ, intelligentiæ, cogitationis, scientiæ, opinionis: doloris, voluptatis, cupiditatis, necessarij, voluntarij, boni, pulchri, noxij ac damnosi, noctis, diei, hilaritatis, mendacij, veritatis, entis, nominis ipsius, innumerabiliumque aliarum vocum: vt facile hinc conicere liceat, aliquam institui posse linguam, quæ omnino, & ex toto fundamentum habeat aliquod in rerum ipsarum verborumque naturis: Hæcenus nostra opinio.

27 Pythagorici contra apud Dexippum 1. Periherm. cap. 6. opinantur, voces neutiquam ad placitum, sed omnino naturaliter significare. Idem etiam docent Heraclitus, & Cratylus apud Ammonium Perihermenias libro nuper citato: & quod attinet ad Cratylum hoc de eo testatur Plato in Dialogo de eius nomine inscripto, vbi hæc habet verba: *Cratylus rebus singulis aut natura inesse rectam nominis rationem, neque id esse nomen, quod quidam ex constitutione vocant, dum vocis sue particulam quandam pronuntiant, sed rectam rationem aliquam nominum, & Græcis, & Barbaris eandem esse innatam.* Pro qua sententia, & aduersus nostram obici potest.

28 Primò negari non posse, quin, vt docent Aristoteles 1. politicor. cap. 2. & Philo Iudæus in lib. de somniis, homini sermo sit naturalis, sicut & naturalis equo hinnitus, cani latratus. &c. Respondeo, esse naturalem non quod natura sola, & non arte, & institutione constet, sed quia ad eius inuentionem, & vsum suapte natura procliuus est homo: quo pacto locietas vitæ ciuilibis ei dicitur esse naturalis, id est eius naturæ, & inclinationi consentanea. Obici potest secundo pro eadem sententia. Aliæ animantes affectuum, & conceptuum suorum voces fortuntur naturaliter significatiuas: quid ni ergo & homo eis longo præstantior interuallo? Antecedentis veritas multis experimentis est testatissima. Gallus gallinaceus inuento cibo dat signum vocis gallinæ, vt accurrat. Columbus gemitu columbam vocat, & ab ea vocatur vicissim. Eo respexit Virgil. ecloga 1.

Nec tamen interea rauca tu cura palumbes,

Nec gemere aërea cessabit turtur ab ulmo.

Idem belle describit Chrysostomus tom. 5. homil. de turture in hæc verba: *turtur amatrix eremi, quando in desertis degit locis, delectabilibus blandimentis accersit comparem vocis sue: conuallia penetrans, & suum masculum in amena, & nemorosa pascentem conuocat, & hinc auolare prouocans, hortatur ascensionem sui celerem.* Id ipsum breuiter, ac strictim tangit Augustin. lib. 2. de doctr. Christiana cap. 2. Ac ne longum faciam serpens etiam creditur sibilo vocare murænam, de quo præclara Oppiani carmina à Laurentio Lippio latine reddita, apud Hippolitum Saluianum de historia aquatiliū histor. 2.

*Ardet amans serpens, & multo exæstuat igne,
Concitus in rabiem furibundus querit amores,
Et curuum subit saxum speculari, & omne
Lethiferum ponti virum, quod gestat in arvis
Dentibus, & bilem saxo deponit amaram,
Vt tadas capiat tranquillo pectore mites.
Littore consistens horrendum sibilat ore,*

Concubitusque petiit: subitò muræna profundo

Excita voce furens, ruit ocior illa sagitta:

Ex terra serpens ponti descendit in æsum:

In venerem prompti gaudent complexibus ambo.

Respondeo, sicut brutis animalibus concessæ sunt voces naturaliter significatiuæ suorum affectuum, necnon conceptuum id genus affectibus correspondentium, ita & homini quamuis pauciores, idque non immeritò, propterea quod homo rationis compos, & artis, ac disciplinæ capax imperfectis eiusmodi signis adeo non indigeat, eorumque loco vocibus ex instituto representatiuis vti, si velit, possit.

29 Tertiò obici solet, Atyn, cum videret hosti lem gladium paterno imminuentem iugulo, has effudisse voces, miles ne occide Cræzum; eum autem, cum esset à natiuitate mutus, & quod consequens exinde est, surdus, haud potuisse discere vocum illarum significationem: Eam ergò naturaliter, & absque disciplina vlla percepit: percipere autem non posset, si ea esset arbitraria, & fortuita, neque à natura vocibus ipsis insita: qua ratione, si fumus v. g. naturaliter non significaret ignem, solius rationis ductu, & absque alterius magisterio, altero eorum viso nemo in alterius deueniret notitiam.

30 Respondeo inprimis, historia illa si forte vera est, non sine aliquo Dei miraculo, aut mali demonis arte, & ope accidisse, quod in ea refertur. Præsertim cum Rauisus in Officina, & alij tradat, Atyn semestrem, & dum adhuc esset inprimis incunabulis, locutum fuisse. Secundò dici potest, Atyn haud fuisse surdum, haudvè intellexisse vocum earum significationem sine disciplina aliqua, vel quin illis vtentes audiret eos, quibuscum viuebat. Etenim esto plerumque, qui mutus est sit etiam surdus, eò quod nerui auditorij, & locutiue facultatis proprij antequam disungantur, vnum veluti funem propè cerebrum, à quo prodeunt, efficiant, ibique haud raro soleant lædi: Cæterum aliquandò potest contingere, vt læsio fiat in ipsa lingua; & organo audiendi non sit communis, nec illud impediatur: Quid ni ergo tum quis alicuius passionis vi, & vehementia soluere possit vincula linguæ, & in voces, quas di dicit, & audiuit, prorumpere? aut quidni tale quidpiam accidere potuerit Atyn?

31 Obici etiam quarto solet illud Genes. 2. *Omne quod vocauit Adam anima viuens, ipsum est nomen eius.* Quid enim esse potest, esse nomen eius, nisi ei suapte natura congruere, illudque naturaliter representare. Nil minus. Primo namque sensus eius loci esse potest, plerique nomenibus animalium ab Adamo institutis, aut diuinitus illi datis fundamentum aliquod inextitisse, merito cuius ad hæc potius quam ad illa significanda imposita fuerint, cum tamen potuerint aliter imponi. Aut secundò intelligi potest locus ille, vt nihil aliud eo adstruatur, quam animantes omnes ea retinuisse Hebræorum tempore nomina, quibus illas Adamus appellauit.

32 Quintò tandem obici solet, exponi non posse, quo pacto inchoare potuerit significatio arbitraria vocum. An enim Adamus voluntatem suam, qua voluit, vt hæc voces tales res, talisque conceptus significarent ad placitum, sine vllò signo Euæ, & filiis, ac nepotibus manifestauit? at hoc adeo est manifestè repugnans, & impossibile, vt nihil supra: an beneficio aliquarum vocum, eam naturaliter significantium? atque ita conficitur institutum: an denique per alias voces ex arbitrio, & ad placitum significatiuas: & sic ibitur in infinitum.

Responde ri

33

Responderi potest primò, & satis probabiliter, primorum nominum impositionem à Deo optimo maximo fluxisse, ac notitiam eorum, ad quæ erant imposita, siue significationis eis ita impertita, diuinitus etiam fuisse primis parentibus infusam. Ita Conimbricenses 1. de interpret. cap. 1. quæst. 4. art. 2. ad 3. & ab eis relati Augustinus lib. 8. de Genesi ad litteram cap. 16. & Abulensis in 13. cap. Genes. quæst. 341. quod idem docent Caiet. & alij de idiomatis in turri Babel concessis, quæ fuisse creduntur septuaginta duo. Quin etiam de omnibus linguis, quæ simpliciter diuersæ sunt, id ipsum tradunt haud pauci, quibus videtur adstipulari Plato in Cratyllo his verbis: *Decens enim, consentaneumque maximè, reperire nos quæ in rebus sempiternis, & naturæ ordine constitutis rectè sunt posita: nam circa ista in condendis nominibus studuisse maximè decet: forte verò ipsorum nonnulla diuiniore quadam potentia, quam humana sunt constituta.* Quamuis autem eodem libro contrariam sententiam docere videatur sic iniquis: *ridiculum visum iri ò Hermogenes arbutur, quod res ipsæ imitatione per litteras syllabasque facta manifesta fiant: necessarium tamen: Neque enim melius hoc habemus quicquam, ad quod respicientes de veritate primorum nominum iudicemus: Nisi forte quemadmodum tragici, quoties ambigunt, commentitiis quibusdam machinamentis ad Deos confugiunt, ita & nos ocium rem expediamus, dicentes, Deus prima nomina posuisse, & idcirco rectè instituta fuisse: ac paucis intericulis, tergiversationes habere, & bellissima quidem illorum, quicunque nolint de recta impositione primorum nominum reddere rationem.* Caterum his verbis tantum vult, non sine aliquo fundamento in rebus ipsis prima nomina à Deo, aut angelis eius iussu, quos fortasse deos appellat, imposita.

34

Secundo respondeo aliter, ac permitto, Adamum ipsum fuisse primum auctorem sermonis, quo cum vxore, ac liberis, & nepotibus utebatur, & quem ad Hebræos, vt creditur, longa posterorum serie incorruptum transmisit: id quod accidisse re ipsa indicant verba illa Genes. cap. 2. *Formauit igitur Dominus Deus in humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cœli, & adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea.* Sed quid hinc? Sanè dici potest, Adamum iis, quos ad communionem, & societatem eiusdem linguæ erudierat, voluntatem, qua nomina instituebat, non manifestasse per ipsam, aut per signa aliqua ad placitum, quæ eam expressè, & infallibiliter denotarent, sed per ambiguos nutus, & obscura indicia coniecturalem quandam eius cognitionem in audientibus excitasse: posteaque eam voluntatem ipso vocum institutionum vfu auditoribus certissimè innouisse. Vbi autem ita cum difficultate, aliqua signa ad placitum instituerat Adamus, iis ad aliorum institutionem vsum fuisse, & aliis ad alia instituenda, atque hoc demum pacto integrum idioma omnibus suis numeris absoluisse. Quod si verum fuit, vt certe esse potuit, haud ita intelligendum est, quasi Adamus solus fuerit primarum vocum author potissimus fuerit: atqui credibile, nullas in earum inuentione partes habuisse Euam, eiusque ex Adamo liberos, & nepotes? Et quidem institutionem idioma- tum & impositionem vocum haud esse adscribendam soli numini & ab hominibus ipsis inchoare potuisse, vt hac secunda responsione nostra volumus, antiquorum plerisque placuit. Ita, vt alios taceam, Socrates apud Muretum lib. 1. variar. c. 5. Ita Horat. Satyra. 3.

*Cum proreperunt primis animalia terris
Mutum & turpe pecus, glandem cubilia propter
Vnguibus & pugnis dein fustibus atque ita porro
Pugnabant armis, quæ post fabricauerat vrsus.
Donec verba quibus voces sensusque notarent,
Nominaque inueneret de hinc abstinere bello
Oppida ceperunt munire & ponere leges.*

Haecenus soluta à nobis, & qua potuimus breuitate, & claritate eorum argumenta qui voces nullatenus ad placitum significare docent. Creduntur autem esse qui è contrario censent eas omnino ad arbitrium, & sine vlla cum rebus proportionem significare: Ita certe Hermogenes apud Platonem in Cratillo his verbis: *Nonaum tamen persuaderi mihi potest, aliam esse nominis rectitudinem, quam conventionem ipsam, consensionemque. Mihi quidem videtur rectum quodcumque nomen, quis cuique imponet: nihilominus primum etiam, quod illi succedit nomen, rectum existere, quemadmodum seruis nomina commutare solemus: nulli quippè rei natura nomen inesse, sed lege, & vfu illorum, qui sic vocare consueverunt.* Hæc enusille. Sed quæ pro hoc placito adduci possunt, in præsentem placet omittere, propterea quod ex dictis facilem habeant solutionem.

35

C A P V T III.

Signa arbitraria quid, & quo pacto significant.

36

Voces nostræ, quæ, vt nuper visum, signis arbitrariis sunt annumerandæ, in eisque principem locum obtinent, & res, & etiam conceptus rerum significant. Quod suadetur: tum quia plerique Philolophi, ac Theologi eius sunt sententia: tum quia eas audiens in notitiam rerum, nec non etiam in cognitionem conceptuum loquentis illarum vi peruenit: tam ergo res, quam conceptus significant, cum significare quidpiam perinde sit, atque in eius ducere notitiam. Ac certè quod attinet ad res, eis imponuntur nomina: Quid notius aut magis tritum? id autem, cui nomen aliquod imponitur, eo nomine significatur haud dubiè: Dein ab eo quod res est, vel non est, oratio seu propositio vocalis, & exterior dicitur vera, vel falsa iuxta Aristotelem, ac scholasticos omnes: at oratio non dicitur vera, vel falsa, nisi ab eo quod significat; sicut cognitio interna minimè censetur vera, vel falsa, nisi respectu eius obiecti, quod cognoscit: voces ergo rem significant. Quod autem ad conceptus spectat, nisi vocibus significantur, nullum erit mendacium: quid enim est mentiri, nisi contra mentem ire, seu mentalem aliquem conceptum verbis exprimere, & significare, quem tamen re ipsa in intellectu non habes, sed contrarium. Profecto vocibus nostris vim significantorum conceptuum tribuunt Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 11. *Verbum*, inquit, quod foris sonat, signum est verbi, quod intus lateat. Damascen. lib. 1. fidei orthodoxæ c. 17. Gregor. Nyssenus de hominis creatione cap. 9. Basiliius homil. in 1. Ioh. Ambrosius in Examer. cap. 9. Philo Judæus, Plotinus, Alexander Aprodisenfis, Albertus Magnus, Auerroes, B. Thomas, quos erudite referunt, ac sequuntur nostri Conimbricenses 1. de interpret. capite 1. quæst. 3. art. 1. Quamobrem, quod docent Scotus in 1. dist. 27. quæst. 3. & Gabriel in 1. dist. 22. quæst. vnica art. 3. vocibus minimè significari conceptus; quod item è contrario tradit Boetius lib. 1. periherm.

periherm. editione secunda voces haud esse signa rerum, vtrumque iam à scholis, & meritò exulat.

37 Adicio, tam res, quam earum conceptus directè, immediatè, & ex primaria intentione vocibus nostris significari. Ita Bassolis in 2. dist. 22. quæst. 1. art. 1. Sotus lib. 1. Summul. cap. 2. landun. 1. de interp. quæst. 1. Henricus in summa art. 37. quæst. 6. & Comimb. citato lib. 1. de interpret. c. 1. q. 3. art. 2. & alij complures. Probatur hæc sententia, quoad priorem eius partem. Propositio vocalis, hæc v. g. homo est animal, id primario, directè, & immediatè significat, quod primaria, directè, & immediatè ratione affirmat; quando quidem affirmare aliquid est illud procul dubio significare: atqui præfata propositio affirmat primario, directè, & immediatè hominem à parte rei esse animal: rem igitur ipsam, hominifque animalitatem, & animal in humanitate inclusionem, earumque rationum perfectam, ac realem identitatem quibus dictum est modis significat. Probatio maioris breuiter est insinuata: Minor etiam in transcurso probatur: ea enuntiatio aliquid primario, directè, & immediatè significat; at non conceptum hominis esse conceptum animalis; alioqui falsa esset, & non vera, cum alio conceptu hominem, & alio animal apprehendamus. Item secundò principaliter: voces directè, immediatè, & ex primaria intentione significare, & exprimere res est ad eas manifestandas independentè à conceptibus institutas fuisse: est ita sunt institutæ: notitia nâque rerum independentè à conceptibus loquentis, ac propter se est expetibilis: quis neget, cognitionem mysterij triados esse per se vtilem, & expeti dignam, esto ignores fidem, & notitiam eius mysterij in exterius illud docente præexistere: imo esto scias certiorque sis, magistrum fidei tuæ infidellem esse, & eum qui mysterio dissentiri non veretur. Voces ergò ad notitiam rerum, harum gratia, & independentè à conceptibus loquentis, in audiente excitandam institui potuerunt, ac debuerunt.

38 Suadet eadem sententia quoad posteriorem eius partem. Voces primariò, & directè, ac immediatè sunt institutæ ciuili societatis ergo, & propter commercium inter homines, vt Aristot. in politicis, & Plato in Cratylo, ceterique omnes docent: at eiusmodi commercium consistit maximè in mutua communicatione, & manifestatione conceptuum: voces igitur primariò, directè, & immediatè introductæ sunt ad communicandos, & manifestandos conceptus. Vterius secundò notitia conceptuum latentium mentis propter se, & non tantum propter notitiam rerum, cum qua cohæret, est valde expetibilis: voces ergò ad eam notitiam in audiente expergiscendam primariò, & directè, atque immediatè sunt adinuentæ, ac in vsu positæ.

39 Verumenimverò aliter, aliterque vox significat rem, & conceptum: illam namque vt quod; hunc verò vt quò repræsentat: quod patet in hac oratione externa, & vocali, homo est animal, qua id quod affirmatur est solummodò hominem esse animal, cum interim vtriusque conceptus tantum significetur velut id, quo eorum affirmatur identitatem, ne, vt supra adnotatum est, fallatur intellectus, quoties id iudicij profert, eiusque extrema obiectiua, ac realia diuersis realiter actibus concipit. Rursus, quod eodem fermè redit, sola res est significatum doctrinale, vt aiunt, vocis, siue id quod per eam disertè, & expressè adstruitur negaturus, & quod docetur alter: conceptus verò non est significatum doctrinale vocis, sed per eam innuitur,

& insinuatur duntaxat. Quid multa? voces, quatenus significatiuæ conceptuum, oriuntur ex pacto, aut aliquo instar pacti, quo receperunt homines, tales se præhabituos cognitiones rerum, si tales de rebus voces ediderint, protulerintve? unde qui aliud sentit, aliud loquitur, infidelis dicitur, eò quod fidem suam non liberet; contra verò sermo menti conformis fidelis dicitur 1. ad Timoth. 3. At voces, quatenus significatiuæ rerum, proficiscuntur ex quodam veluti pacto, quo voluerunt primi illi homines, vt talium auditores vocum talem rerum notitiam habeant, atque in se excitent, nisi oppositum de eiusmodi rebus iudicium aliæ rationes suadeant: quamobrem conceptum suum verbis eius, qui secum loquitur, non accommodans infidelis, & incredulus dicitur, nisi nè ita concipiat, & sentiat, bonæ eum coniecturæ retrahant: qui verò in se conceptum excitat verbis secum loquentis conformem, is dici solet fidelis, credens, docilis. Porro, vt hoc etiam breuiter animaduertam, sicut vox omnis diuerso modo rem, & conceptum rei significat, ita etiam dissimiliter, ac non eodem modo pro eis supponit, aut (iuxta aliorum phrasim) supponitur potius.

40 Ex hæcenus dictis colligitur primò, alia, & alia impositione, seu pacto voces institutas esse ad significandos conceptus, & res, quas concipimus: siquidem pactum, quo significant conceptus nostros, loquentem obligat; id autem, vi cuius significant res conceptibus subiectas, solum deuincit audientem: ac prius pactum est à posteriori independens; haud secus ac pacta, quibus vox canis ex. g. sydus piscem, & animal latrabile repræsentat, multum inter se differunt, & sunt independentia inuicem. Colligitur secundò ex dictis supra, voces, quatenus rebus impositas, indirectè, virtualiter, & secundariò significare conceptus: eo enim ipso, quod hæc voces toties in exemplum adductæ, homo est animal, rem ita se habere directè, formaliter, ac primariò significant, indirectè, virtualiter, ac secundaria ratione repræsentant iudicium loquentis ipsius, quo rem sic esse interius existimat, propterea quod verba ferè prolata semper præsumantur, nisi quidpiam aliud per accidens obstat, ab eodem iudicio, ex eius parte qui loquitur, proficisci, quod in audiente sunt elicitura: præsertim cum circumscripto quouis pacto, & lege, quilibet benè moratus conceptum rei quem ipse habeat, aliis communicare studeat, quæadmodum agens omne naturale eam formam, qua ipsum est præditum, in subiecto illius capaci producere nititur, omni ope contendit. Econuerso autem voces, quatenus conceptibus impositæ, indirectè, virtualiter, & secundariò res significant, iuxta celebrem illam regulam Scoti, signum signi est signum significati, nimirum in sensu proximè indicato.

41 Colligitur tertio, falsam esse sententiam B. Thomæ 1. part. quæst. 13. art. 1. & quæst. 8. de post. art. 1. Petri de Bruxelis 1. de interpret. quæst. 1. art. 1. Bonauenturæ in 1. dist. 22. art. 1. Durandi, Ægidij, Ricardi de Media-Villa ibidem quæst. 1. Vallij 1. periherm. q. 1. Bassoli 1. part. q. 13. art. 1. dubit. 1. Alberti tract. 2. cap. 1. Dominici de Flandria 4. metaph. quæst. 7. art. 4. & aliorum plurium existimantium solos conceptus directè immediatè & ex primaria intentione vocibus significari. Colligitur quartò haud magis veram esse opinionem Petri de Hurtado disput. 9. log. sect. 3. Roderici de Arriaga disp. 13. log. sect. 2. Francisci Alfonsi in Summulis lib. 1. cap. 6. numer. 14. Francisci de Quiedo controuerf. 8. log. punct. 3.

punct. 3. num. 7. Smigletij disp. 12. q. 1. Valquij 1. p. disp. 57. num. 8. & disp. 55. c. 3. Fonseca 2. met. c. 1. q. 2. sect. 4. Soarij. 1. p. tract. 1. lib. 2. cap. 31. n. 6. Okami in 1. dist. 22. q. vnica & aliorum non paucorum, quibus magis placet, solas res directè, immediatè, & ex primaria intentione vocibus subesse.

41 Colligitur quintò, multas voces doctrinaliter, vt quod, & pacto audientes obligante significare conceptus nostros: tales sunt hæc: cognitio, intellectio, verbum mentis, iudicium aliaque similes: nec id mirum: plura siquidem vocabula ad affectus voluntatis eadem ratione manifestandos sunt imposita. Colligitur sextò aduersus Recentiores aliquos, voces nullatenus significare conceptus illos, quos in audiente excitant, nisi fortè sint hæc voces, cognitio, conceptus, &c. de quibus paulo suprâ. Nam significare est in alterius ducere notitiam: hæc autem verba, homo est animal, non trahunt audientem in notitiam conceptus de eo obiecto, sed solummodò in cognitionem ipsiusmet obiecti: conceptum ergò in audiente elicium non significant: Maior est in explorato: Minor suadet: qui voces eas auscultat, in notitiam solius hominis, & animalis, & mutua inter vtrumque identitatis earum vi rapitur: quod si notitiæ suæ aliam habet notitiam reflexam id neque semper, aut necessariò euenit, neque vnquam immediata vi prædictarum vocum. Et quidem PP. & antiqui scolastici, vbi conceptus vocibus significari tradunt, de iis qui in loquente, non verò in audiente sunt, sermonem habent.

42 Ex quibus confectariis facile solui possunt, quæ contra nostram adoleant opponi sententiam. Illud tantum difficultatem ingerit aliquam, quatenus nimirum omnis vox æquiuoca non euadit cum nulla non directè, immediatè, & ex primaria intentione plura vt plura rem scilicet, & conceptum significet. Caterum in primis hæc obiectio retorqueri potest in aduersarios: siquidem iuxta eos omnis vox ex duplici intentione primaria videlicet, & secundaria plura, ac diuersa obiecta, siue extrema repræsentat rem nimirum, & rei conceptum: omnem ergò vocem oportet eos fateri esse analogam, quod tamen non minus absolum est, quam si omnis esset æquiuoca: sic risus v.g. est nomen analogum, quia ex duplici impositione, altera priori, altera posteriori risum hominis, risumque prati significat. Præcisè respondeo ad æquiuocationem nominis opus esse, vt illud plura, quatenus plura, vt quo, nec non etiam vt plura, quatenus plura, vt quod repræsentet, non satis esse, si vnum vt quo, & aliud vt quod, nec aliam, aut alio modo quam hanc pluralitatem exprimat.

43 Ad voces proximè scriptura accedit. De qua non sine distinctione loquendum est. Siquidem aliqua scriptura solas voces immediatè, & directè significat, mediatè verò, & indirectè conceptus, & res vocibus subiectas. Huiusmodi est idioma Græcum, Latinum, Hispanicum, Hibernicum, & alia similia, quibus Europæi communiter vtuntur. Etenim qui scit rectè legere characteres Latinos v. g. perperetum habet, quid ij significant immediatè, & directè: at non eo ipso res, & conceptus iis characteribus consignatos assequitur; alioqui idem esset latine legere, & intelligere; quod tamen est falsum. & aduersus experientiam: haud ergo characteres illi, alij ve id genus res, rerumque conceptus directè, atque immediata ratione significant. Deindè secundo. Eatenus scripta nostra à Hieroglyphicis, & nutibus differunt, quod hæc immediatè, & directè res, & cog-

nitiones rerum, secus verò illa repræsentent. Ceterum numeri scripti, quatuordecim communiter nuncupati, res, & conceptus immediata, & directè repræsentatione significant: Quod idem de litteris Sinensium, & aliarum gentium affinium dicendum est: mediatè namque, & indirectè tantum referunt voces, quo fit, vt eas legere sciens, quantumvis eo ipso sciat quas res, & quales conceptus significant, quarum tamen vocum alibi, & extrâ patriam suam signa sunt, omnino possit ignorare, ac lapsissimè ignoret, propterea quod eadem litteræ scriptæ, vel potius depictæ versus eos tractus gentibus diuersa lingua ventibus sint communes, vt noster Trigausius memoria prodidit.

Superest disputandum, an voces (par autem est ratio scripturæ) clariùs, explicatiùs & distinctius rem significare possint eas audienti, quam illas imponenti, aut proferenti? Possè negant B. Thomas 1. p. q. 13. art. 1. & ibid. Caietan. Bañez, Zumel, Nazarius & alij item 1. contra gentes cap. 30. & cum eo ibid. Ferrariensis: Id etiam negant Durandus, Argentina, Capreol. Bonaventura, Ricardus de Media-villa, Bassolis, Marsilius & alij in 1. dist. 22. Item Henric. in summa art. 73. q. 9. Alensis 1. p. q. 48. memb. 1. Altisiodorens. lib. 1. sum. cap. 3. Suarez disp. 30. metaph. sect. 13. & 1. p. tract. 1. lib. 2. cap. 31. Fonseca 2. met. cap. 1. q. 2. sect. 4. Valentia punct. 1. q. 13. Fasolus vbi supra. Hurtad. disp. 8. log. sect. 2. §. 11. & Franciscus de Ouiedo controuerf. 8. log. punct. 3. n. 5. & sequentibus. Affirmatiuam autem & contrariam sententiam amplectuntur Okamus, Gabriel, Scorus & communiter eius affectu in 1. dist. 22. Vasquez tom. 1. in 1. p. disp. 57. Molina 1. p. q. 13. art. 1. disp. 2. Tannerus tom. 1. disp. 2. q. 7. dub. 6. num. 5. & ex Thomistis Siluester apud nostrum Fasolum, loco superius memorato.

Pro decisione quæstionis noto primò, voces, quæ significantiæ, ex vi suæ in positionis non tantum re picere certum, ac determinatum obiectum, sed etiam certam quandam claritatem, ac destinatum modum cognoscendi: quod in causa est, vt hæc vox, homo & hæc, animal rationale, neutiquam sint synonyma, sed potius diuersimodè significant: nimirum enim iuxta iamiam insinuatam doctrinam ex primæua sua institutione vtut idem obiectum, non tamen eandem eius cognitionem, & lucem respiciunt. Noto secundo, voces significare per se in ordine ad solam illam cognitionem, quam merito suæ impositionis spectant: si quando verò aliam perfectiorem excitant in ordine ad illam per accidens tantum esse significantiæ.

Noto tertio, voces munere suæ impositionis respicere solum illum cognoscendi modum, quem imponens exterius manifestarit, quemvè audita voce excitari voluerit, & ita se velle docuerit. Siquidem voces non ab occulta, & tacita intentione instituentis, sed ab expressa, & cognita significationem sortiuntur suam: duntaxat igitur erunt significantiæ in ordine ad destinatum illum cognoscendi modum, quem imponens expresserit, atque propalauerit. Noto quarto, neminem posse exterius velle, & docere vt alius audita voce aliqua certam, ac determinatam cognitionem rei concipiat, quæ sit perfectior ea quam ipse vocis institutor præhabet, esto id occultè, & mentaliter intendere possit. Sicut enim nemo potest docere cognitionem obiecti, cuius ipse nullam habet cognitionem, iuxta illud Aristotelis. 1. metaph. cap. 1. *signum scientis est posse docere*; ita non potest exterius docere perfectiorem cognitionem

44

45

46


nem obiecti, quam ipse habeat: imponens autem vocem, exterius docet, quem cognoscendi modum ea respectura sit: modum ergo cognoscendi eiusdem perfectionis, & non minoris ipse præhabere debet; aliàs eum quo pacto docere, & exterius præcipere posset? Quamobrem fieri non potest, ut cognitionem obiecti in audientibus elicendam voci annectat perfectiorem ea, quam ipse prius mente sua perfecit.

48

Quibus constitutis dicendum est primò, voces non posse significare per se, & ex vi suæ impositionis rem perfectius audienti, quam imponenti, aut proferenti. Etenim voces significatiuæ ad placitum per se, ac ratione suæ impositionis eam solùm cognitionem excitare in audiente possunt, quam imponens exterius manifestarit, seu manifestari exterius voluerit, & decreuerit: atqui imponens, siue institutor vocum nequit exterius docere, & præcipere perfectiorem rerum cognitionem, quam sit ea, quam ipse præhabet, eamque vocibus aliquo pacto illigare: voces igitur significatiuæ ad placitum nequeunt, per se loquendo, perfectiorem rerum notitiam in audiente parere, quam sit ea, qua imponens gaudet, atque aded rem perfectius audienti, quam imponenti nequeunt per se significare.

49

Dicendum est secundò, voces per accedens rem significare posse perfectius audienti, quam imponenti, vel proferenti. Siquidem significare est ducere in alterius cognitionem: atqui voces per accedens ducere possunt in perfectiorem rei cognitionem, quam sit illa, quam institutor in se præhabet: Ut si Rex Philippus imponat nomen regioni alicui de nouo detectæ, quam nunquam lustrauit, aut vidit; sane nomen illud prolatum coram nouæ telluris accola perfectiorem in eo cognitionem excitabit, quam est ea qua rex est præditus: aliquam enim in eo excitat: non aliam quam perfectiorem, cum in eo duplicem cognitionem eius prouinciæ nec vtile nec necesse sit excitari: Quod autem ea cognitio non beneficio eius solius nominis à rege prolata, & impositi sed insuper vi specierum, & cognitionis habitualis in noui orbis accola prius existentium excitetur, non obest quominus nomen in ordine ad perfectiorem illam cognitionem significet, aliàs nulla vox quicquam significaret, cum nulla se sola significet, nulla non in consortio habituum, & specierum, quæ simul cum illa ad cognitionem concurrant. Quod vero nomen illud per accedens, & non per se, ac de exigentia suæ impositionis perfectius significet regionem illam ei, qui nomen audiuit, quam ei, qui illud instituit, non tollit, nec prohibet, nè verè, & propriè ita significet: sicut quod per accedens, inopinatò, ac præter sententiam cernitur, censetur nihilominus verè, ac propriè cerni, & videri.



TRACTATUS III.

De nomine, verbo, & oratione.

CAPVT I.

Explicatur quidditas nominis.

I



RISTOTELES I. de interpret. nomen ita definit: *Nomen est vox significatiua ad placi-*

tum sine tempore, cuius nulla pars separata significat finita, & recta. Eum sequuntur antiquiores omnes interpretes, & ex neoteris scholasticis Franciscus Alfont. lib. 1. institut. Dialecticarum cap. 2. Franciscus de Ouiedo in summul. controuers. 3. punct. 1. Sotus lib. 2. Summul. cap. 3. Fonseca lib. 1. institut. Dialecticar. cap. 12. Petrus Hispanus lib. 1. Summul. cap. 3. Auerſa institut. Logicarum tract. 2. cap. 4. Collegium Conimbricense lib. 1. de interpret. cap. 4. q. 2. art. 3. & sequent. & plures alij, quos referre longum esset.

Enimverò contrà Aristotelicam hanc, adeoque receptam nominis definitionem eius aduersarij, aduersantur autem ei non multi sed tamen aliqui, obiciunt primò, illam haud conuenire nomini mentali: secundò vocem non significatiuam ex instituto, cuiusmodi est blitiri, habere rationem subiecti, & consequenter nominis in hac propositione, *blitiri est vox dearticulata*, aut in alia simili: & tamen ei non congruere præfatam definitionem. Arguunt tertio: hæc nomina, cæna, dies, & alia id genus non significant sine tempore: ea ergò particula, *sine tempore*, est expungenda à definitione nominis. Item quartò: in hoc nomine proconſul, & aliis similibus, partes eorum separata significant: particula ergò illa, cuius nulla pars separata significat, inter definiendum nomen est omitenda. Quintò casus obliquus est nomen, cum sit aliqua orationis pars, & non alia nisi nomen, ut per omnes discurrenti constabit: vocula ergò, *recta*, perperam in definitione nominis adhibetur. Tandem nomen infinitum vere nomen est, sicut terminus infinitus iuxta omnes dialecticos est propriè terminus; finitas ergo non est de essentia, & quidditate nominis: adeoque in huius definitione nullo iure sit illius mentio.

Verum non oportet Aristotelem deferri, cum facile possit defendi. Ad primum resp. ndeo. Nomen trifariam sumi potest: primo latissimè qua ratione conceptus mentis comprehendit, iuxta illud psalm. 146. *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*: ubi nomina stellarum certam, ac distinctam cuiuslibet cognitionem esse communiter docent interpretes, ac præsertim Cardinal. Bellarminus in expositione eius psalmi vers. illo 4. Secundò latè pro quavis voce significatiua ad placitum: quo pacto verba, coniunctiones, omnesque omnino orationis partes complectitur: verba enim aliqua vniuoca, alia æquiuoca, & alia analogica sunt; quod autem vniuocum est, æquiuocum, aut analogum, id eo ipso est nomen, cum trium illorum definitiones sic incipiant, *quorum nomen est commune*, &c. Atque hoc secundo modo videtur accepisse nomen Plato, cum dixit in Cratylo: *nomen itaque rerum substantias docendi, discernendique instrumentum est, sicut pecten, & radius ipse tela*: Tertiò strictè, & ut in præſenti definitur: Quamobrem non mirum, quod ea definitio nomini mentali non conueniat, cum latissimè nomen sit, & in præſenti nomen definiatur. Quod vel ex eo constat, quod nomen alicuius tum ignorare dicamur, cum vocem, qua appellatur, ignoramus, licet alioqui eum ipsum cognoscamus.

Ad secundum respondeo: Quod Blitiri in propositione aliqua sit subiectum, arguit esse terminum, non verò nomen. Terminus enim à nomine multipliciter diffidet: primò, in eo quod casus obliquus est terminus, non verò nomen: secundò, in eo quod verbum sit terminus, secus verò nomen: tertio, in eo quod nomen infinitum sit verè terminus, sed

2

3

sed non nomen: quod, in eo quod vox non significatiua ex instituto, termini, haud tamen nominis rationem obtineat: tandem, in eo quod terminus habere queat partes, quae separatae significant, secus verò nomen, ut in praesenti: quae omnia ex dicendis constabunt.

4 Ad tertium respondeo. Aliud est significare tempus; aliud significare cum tempore: significare tempus est significare rem, & simul tempus, cum indifferentia tamen, ut tempus illud in quo res sit, praesens sit, praeteritum, aut futurum: significare cum tempore est significare rem, & simul consignificare destinatè differentiam aliquam temporis praesentem praeteritam, aut futuram, in qua sit res. Nomen ergò cœna, & aliud quoduis simile significat tempus: ceterum non significat eam tempore, ut definitio flagitat, quoniam alio rem, & simul tempus ea vox repraesentet, qualis tamen sit ea differentia temporis non determinat, sed in medio relinquit, an cœna sit modò, fuerit antea, vel sit futura postea. Qua de causa participia, tametsi alia praesentis temporis, alia praeteriti, & alia futuri sint, nihilominus reuocantur ad nomina, & horum participant essentiam: siquidem prolata hac voce, amans v. g. haud exprimitur, nec deliberatur, an quis modo sit amans, vel fuerit amans, vel potius futurus sit.

5 Ad quartum respondeo: Nomen compositum habet quidem partes, quae separatae significant; sed non sicut in toto: quippe in quo significationem mutant, haud secus atque elementa pristinum esse deperdunt, cum in mixtum coalescunt. Ad quintum respondeo: Casus obliquus nomen grammaticum est eo quod alia pars orationis esse non sustineat, ut obicitur in argumento: Ceterum nō est nomen dialecticum strictè sumptum: huius enim de ratione est, ut se solo velut subiectum, aut praedicatum constituere possit orationem veram, & falsam, quam praecipue dialectica considerat: casus obliquus se solo subiectum, aut praedicatum propositionis esse nequit, idque solum recto suo quasi iure conuenit. Ad vltimum respondeo, Nomen propriè sumptum declarare debet quid cuiusque rei: cuius indicium, ac signum est, quod querenti quis sit aliquis, responderi oporteat; est Petrus, aut Ignatius, aut alius: Nomen autem infinitum, quale est v. g. non homo, non tam quid sit res, quam quid non sit explanat.

6 Cui tamen superior definitio displicuerit ita definiat nomen: est vox declinata per casus: cum Petro Hurtado in summul. disp. 3. sect. 1. Arriaga disp. 2. summul. sect. 1. Alio Antonio lib. 3. de erotematis nominum c. 4. & arte regia excusa iussu Philippi tertij Catholici regis Hispaniarum lib. 3. nec non Martiano Mineo, Capella de septem artibus liberal. lib. 4. fol. 77.

CAPVT II.

Essentia verbi exponitur.

7 Verbum iuxta Aristotelem 1. de interpret. cap. 3. quem plerique interpretes, & scolastici praesertim verò memorati supra ad initium capitis praecedentis sequuntur, est quod insuper tempus significat, atque semper eorum, quae de altero dicuntur, nota est. Vocula, insuper, denotat alias particulas in definitione nominis adhibitas videlicet, vox significatiua ad placitum cuius nulla pars separata significat: & finita, in hac etiam esse definitione subaudiendas.

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

Quod autem verbum dicitur nota eorum, quae de altero dicuntur denotat verbum dialecticè sumptum, ut in praesenti sumitur, significare suapte natura quiddam de alio dici, hoc est affirmari, aut negari: Verba autem affirmationem, aut negationem non significantia, qualia sunt omnia optatiui, subiunctiui, & imperatiui modi, verba grammatica, rhetorica, aut poetica sunt, non verò dialectica, ut Aristoteles hic cap. 4. disertè tradit.

8 Sciscitaberis primò, an verbum, quo de agimus, in propositione possit infinitari? Possent censent Franciscus Alphonf. lib. 1. instit. cap. 3. Conimbricens. 1. de interpret. cap. 4. q. 2. art. 4. Auerf. tract. 2. instit. logicarum cap. 5. & alij recentiores, quibus subscribo. Primò, quoniam nomen infinitari potest: quidni ergo & verbum. Secundo, quia hoc expressè docet Aristoteles cap. 3. paulo supra citato; non valet autem (inquiens) non agrotat, non dico verbum esse, nam insuper quidem tempus significat, semperque de aliquo dicitur, at differentia nullum nomen est positum, sed verbum infinitum vocetur. Tertiò, quoniam alioqui particula illa, finita, in definitione verbi si hoc non sustinet infinitari, superfluet, & hoc solo quod verbum exprimitur cum tempore significare, illico intelligetur quod sit finitum. Tandem quia haec propositio ex. g. Petrus non amat, aut aequiualeat huic, Petrus non est amans, & ita quidem verbum eius negatur, aut huic, Petrus est non amans; & ita infinitatur, cum participium, amans, in eo delitescens, ac virtualiter, & per identitatem inclusum haud dubie subeat infinitationem: Vtri autem aequipolleat, ex circumstantiis est colligendū. Ceterum vti nomen infinitatum non vocatur ab Aristotele nomen simpliciter, sed secundum quid tantum, ita iuxta eum, quodocunque verbum infinitatem induit, eo ipso non erit simpliciter verbum, ut eius verba nuper allegata demonstrant.

9 Verbum sed enim infinitari nequire in propositione vlla docent Hurtadus disp. 3. summul. sect. 2. §. 12. Arriaga disp. 2. summul. sect. 1. n. 7. Albertus Magnus tract. de nom. cap. 5. & tract. de verbo cap. 2. Boëtius, B. Thomas, & Alexander Aphrodis. 2. de interpret. cap. 2. Pro quibus sic obicies. Negatio cadens supra nomen infinitat, & cadens supra verbum negat, ut est in communi, ac recepta Dialecticorum paramia: verbum ergo negari, non vero infinitari potest, cum aliter infinitari nequeat, quam per negationem, seu particulam inficialem, non, quae supra illud cadat, quo tamen casu siue appellatione magis negatur, quam infinitatur. Respondeo: verbum duplex est: aliud, quod solam conjunctionem subiecti cum praedicato denotat, quale est verbum, est; & particula, non, recidens supra hoc verbum, illud negat, ac propositionem negatiuam efficit, ut constat: aliud, quod praedicatum, & eius conjunctionem cum subiecto indigitat, ut valet, amat, & similia; & negatio appellans supra huiusmodi verbum, illud infinitat, ut claret ex dictis.

10 Sciscitaberis secundò, an verbum omne, seu copula sit praedicatum? Respondeo esse: tum quia titulo praedicati est terminus propositionis, ut ostensum est supra lib. 3. tract. 1. cap. 1. n. 6. tum etiam quia nota eius, quod in mente subiicitur est in voce subiectum: nota ergò eius, quod interius praedicatur, est exterius praedicatum: verbum autem, seu copula semper est nota eorum, quae de altero dicuntur, & praedicantur, ut liquet ex Aristotelica verbi definitione, in qua verlamur: tum quia idem Aristoteles hic cap. 2. hanc propositionem, Homerus est poeta, vocat de praedicato coniuncto: quasi in ea duo praedicata

dicata partialia, videlicet *est*, & *poëta*, in vnum prædicatum totale coalescant: tum denique, quia in propositionibus de *est* secundo adiacente copula est prædicatum; aliàs in eis nullum erit formale prædicatum, quo quid magis absonum: similiter ergo & in aliis, in quibus vocula, *est*, suam significationem non amittit. Et quidem hanc sententiam veteres omnes Græcos, & Latinos tenuisse, testis est Cardinal. Toletus hic cap. 3. q. 1.

II Sciscitaberis tertio, quo pacto omne verbum sit præsentis temporis: Esse enim aliquo pacto cum vltima superioris definitionis particula indicat, nempe *eorum quæ de alio dicuntur*, tum etiam plerique scolastici docent, cum Aristotele non verba, sed casus verbi reliquorum temporum verba appellantes. Respondeo, verbum duplex est: aliud grammaticum, quod nullum tempus non amplectitur: aliud dialecticum, quod solius temporis præsentis est, nimirum quia dialectica, velut modus sciendi, ea solum verba considerat, quæ cum maiori ex parte sempiternæ sint veritatis verbis præsentis temporis constant; non quia vnam solam differentiam temporis veritas sempiterna respicit, sed quia ita intuetur omnem, vt in omni, quasi actu & de præsentis, sit: vnde cum talis veritas, aut propositio de ea absolui dicitur à tempore, sensus est à tempore destinato absolui, cum aliàs omnem omnino temporis differentiam, in qua veluti actu & de præsentis sit, connotet: Propositio ergo scientifica, & doctrinalis, quæ potissimè dialectici negotij est, verbo præsentis temporis semper constat, vt vel à posteriori constat: vnde verbum dialecticum est eius solius temporis. Verba autem cæterorum temporum verba grammatica, non verò dialectica, & ad summum casus verbi dialectici dicenda sunt, vt supra sumus de nomine philosophati.

12 Si cui tamen superior verbi definitio magnopere non placuerit, is verbum latius, & magis grammaticaliter definiat, hunc in modum: verbum est vox coniugata per tempora: cum Hurtado, Martiano, Mineo, & aliis ad finem capitis præteriti memoratis.

CAPVT III.

Explicatur quid sit oratio, & aliqua circa eam dubia enodantur.

13 **O** Ratio ab Aristotele lib. 1. de interpret. cap. 4. & his, qui eum sequuntur, interpretibus, & scolasticis, horum autem sequuntur eum non pauci, vt vltimum est ad initium duorum capitum præcedentium, sic definitur: *Oratio est vox significatiua ad placitum, cuius aliqua pars per se separata significat, non vt affirmatio, sed vt dictio.* Cui definitioni, deptis iis difficultatibus, quæ illi cum nomine, & verbo sunt communes, ac superius solutæ manent, ea duntaxat obitare potest, quod termino complexo, cuiusmodi est, homo iustus v. g. conuenire videatur, adeoque alij à definito suo. Verum cur terminus complexus oratio imperfecta esse nequeat: esto nec terminus incomplexus oratio imperfecta, nec complexus oratio perfecta esse possit: Atque terminum incomplexum orationem quandam esse tuentur cum antiquis authoribus nostri Conimbricenses 1. de interpret. cap. 4. quæst. 3. art. 1. & Fonseca lib. 3. institut. dialecticarum cap. 1.

14 Oratio hic à Boëtio, & reliquis in perfectâ, & im-

perfectam diuiditur. Imperfecta est, cuius partes aliquo nexu imperfecto, & grammaticali coherent, vt vir sapiens, regia solis, & alia id genus. Perfecta est, quæ perfectiori nexu, verbo scilicet, & non solis nominibus, constat, adeoque perfectum sensum in animo audientis generat, cum tamen illa prior non nisi imperfectum in eo pariat. Atque de hac posteriori orationis specie sermonem habuit Plato cum dixit in Theæteto: *Primum esse arbitror, cogitatione per verba, nominaque exprimere opinionem propriam in voce, perinde acin speculo, & aqua monstrantem: nonne tale quid oratio tibi esse videtur?* Et in Sophista; *omnis penitus oratio deleteretur, si unumquodque ab omnibus segregatur; nam propter mutuum specierum copulam oratio consistit: & ibidem paulo infra: ex solis nominibus ordine prolatis oratio nunquam efficitur, neque rursus ex verbis absque nominibus pronuntiatis, vt vadit, currit, dormit, & alia verba, quæcumque actiones significant, quæ si quis subiungat omnia, nihilo magis orationem facit: Rursusque, cum dicitur leo, ceruus, equus, cæteraque nomina, quæ ipsos agentes significant nondum hac conuinatione oratio vlla conficitur: nam quæ proferuntur, haud ante actionem, vel actionis impedimentum, aut essentiam suæ existentis rei sue non existentis ostendunt quam verba nominibus misceantur: Tunc verò primum conueniunt, statimque fit oratio, & prima horum complexio prima oratio est etiam si sit breuissima: Ac denique in Cratylo; oratio quippe, vt arbitror, est verborum, & nominum compositio.*

Oratio perfecta dissecatur à B. Thoma, Ammonio, & aliis comuniter in enuntiatuam, interrogatiuam, imperatiuam, deprecatiuam, & optatiuam: ex quibus omnibus sola, quæ enuntiat, præsentis est instituti. Eam circa dubitabis primò, an ita ad placitum significet, vt nullo signo naturali, quale est blitiri, intrinsecè & immediatè velut subiecto, aut prædicato constitui possit: Id genus signo illam non repugnare constitui sentiunt Hurtado in summul. disp. 1. sect. 2. & 4. Compton. disp. 1. introduct. sect. 2. num. 3. Franciscus Alfonsus lib. 2. instit. cap. 2. num. 4. Franciscus de Ouiedo in summul. controuers. 1. punct. 2. num. 5. Arriaga disp. 1. summul. sect. 2. num. 10. quibus assentior: tum quia hæc propositio, blitiri est terminus, verè propositio est: atqui signo naturali velut subiecto constituitur: tum etiam, quia propositio mentalis terminis non ad libitum, sed naturaliter significantibus adæquatè, & ex toto constat: cur ergo propositio externa signo aliquo naturali inadæquatè saltem, & ex parte nequeat constitui?

16 Contrariam sententiam tuentur quidam Recentiores cum Fonseca lib. 1. instit. dialecticarum cap. 16. ac sic obijciunt primò. In hac propositione omne blitiri est terminus, blitiri non habet rationem subiecti, sed solius obiecti: eam ergo propositionem formaliter non constituit: Antecedens probatur: id habet rationem subiecti, supra quod illud syncategorema, *omne*, appellat: atqui non appellat supra blitiri, sed supra particulam, *vocabulum*, aut *vox*, ibi subintellectam hunc in modum: *omne vocabulum, siue omnis vox blitiri est terminus: ergo, &c.* Minor suadetur, quia blitiri illud singulare est, ac proinde vniuersalitatis incapax, adeoque syncategorema, *omne*, supra illud appellare non sustinet. Respondeo, vocabulam, *omne*, supra blitiri appellare, non hoc numero tamen, sed supra rationem communem ab hoc, & illo abstrahentem: Quod enim ea abstractio fieri possit dubium non est, cum hoc, & illud blitiri conueniant, & assimilia sint:

sint : illa ergo ratio communis ei vocula vniuersali, *omne*, supponi, & subintelligi poterit, non minus quam hæc particula, *vocabulum*, aut *vox*, quantumcunque vnum, & singulare blitiri efformetur.

17

Vrgebis tamen. Syncategorema, *omne*, non potest appellare immediatè suprà rationem communem blitiri : siquidem appellare debet suprà id, quod actu eam propositionem constituit : ast ea singularis propositio nulla ratione communi constitui potest, sicut hic numero homo anima singulari non communi constare debet. Tum sic : particula, *omne*, non appellat suprà hoc numero blitiri : nullo ergo modo suprà illud appellat, ac proinde in ea propositione neutiquam subiicitur. Antecedens probatur : quoniam vocula illa, *omne*, denotat vniuersalitatem in essendo, aut representando ; qua ratione ineptè dicitur omnis Deus, propterea quod Deus vtraque vniuersalitate careat : at blitiri hoc numero est singulare, & nec est vniuersale in essendo, vt perspicuum est, nec etiam in representando, aut significando, quia eius partes non sunt hoc aut illud blitiri significare, alias quidem signum arbitrium, & ad placitum foret.

18

Verum inprimis particula, *omne*, suprà *vocabulum*, aut *vox* appellat iuxta aduersarios : & tamen vox, aut vocabulum non constituit actu propositionem, qua de agimus, sed tantum in ea subauditur quamuis igitur ratio communis blitiri actualiter propositionem non constituat, adhuc suprà illam appellare, & recidere potest syncategorema *omne*. Deinde secundò hic numero homo iuxta aduersariorum aliquos hac vel illa materia indeterminatè sumpta constituitur : hoc igitur vel illud blitiri, siue ratio communis blitiri hanc numero propositionem poterit constituere. Tertio dici potest, particulam, *omne*, in propositione illa nostræ controverſiæ subiecta cadere suprà hoc numero blitiri, quia licet non sit vniuersale in significando ad placitum, vt obiecto conuincit, est tamen vniuersale in significando naturaliter, siquidem est quedam imago naturalis omnium blitiri, quibus assimilatur ; quod sufficit, vt pro iis in propositione poni possit, præsertim adiuncto syncategoremate, *omne*, quod eam representationem non solum indicat, verum etiam promouet. Tandem dici potest in allata propositione blitiri fortasse terminum esse : quo vltro, ac liberaliter admissio, nihilominus haud sequitur id in aliis enuntiationibus euenire, in quibus illud syncategorema non adicitur. Cuius ratio est, quia blitiri est ex se indifferens ad rationem subiecti, vel solius obiecti, & per adiectionem, aut amotionem particula illius, *omne*, aut alterius similis ad alterutrum determinatur. Sic animal v.g. per adiectionem particula, *hoc*, ad rationem indiuidui, & per additionem particula, *rationale*, ad rationem speciei, & per vtriusque amotionem ad rationem generis determinatur.

19

Obiiciunt secundò aduersarij ex nostra sententia fieri, quemuis motum localem, quamuis lineam scriptam, quoduis inordinatum delineamentum, vestigium pedis pulueri impressum, sculpturam monetæ terminos esse posse, nimirum si iis hæc voces, *est terminus*, addantur, haud aliter ac vocula illi blitiri adiciuntur. Sed inprimis contendit fortasse aliquis, propositionem vocalem non posse non constare solis vocibus, quales quales tandem sint, sicut propositio mentalis iuxta omnes ex solis actibus intellectus existit : Quandoquidem ergo paulo suprà congesta voces non sunt, quid mirum, si propositionem vocalem terminare, aut con-

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

stituere nequeant. Ast blitiri vox demum est. Deinde secundò verosimilius est absolute, propositio nem externam heterogeneam esse posse, & partim vocalem, partim scriptam, partim significatiuam naturaliter, partim verò ex instituto ; sicut etiam alia continua physica partibus heterogeneis, & specie distinctis coalescant : vnde nihil est incommodi in eo, quod superius obiecta sint termini.

20

Obiiciunt tertio : Sicut propositio omnis est expressiua alterius à se distincti, ita & eius terminus omnis exprimere debet aliquid à se distinctum : Blitiri autem nihil, quod à se distinguatur, representat. Leue argumentum. Nam primo subiectum, & prædicatum obiectiuum termini sunt, cum tamen nihil à se distinctum referant : quamuis ergo blitiri alterius non sit expressiuum, nihilominus terminare poterit propositionem. Rursus secundò & absolute : plura toti sæpè conueniunt, quæ cadere nequeunt in eius partes : vnde expressio alicuius à se distincti enunciationis propria non debet in quamlibet eius partem conuenire. Obiiciunt quarto. Terminus omnis pro aliquo supponere debet : Blitiri autem pro nullo alio supponit. Sed antecedens est falsum ; vt claret in hac propositione, homo est vox dissyllaba. Deinde, si blitiri pro se supponit, terminus ergo est, cum suppositio sit affectio termini. Tandem obiiciunt, blitiri ad loquutionem, & fermocinationem humanam non spectat, cum nihil ad libitum significet : ergo nec ad logicam, quod scientia fermocinatrix est, vt ex eius constat ethymo : terminus ergo esse nequit vllius propositionis, alias spectaret ad logicam. Huius etiam argumenti antecedens est falsum, vt semel, & iterum edoctum est. Consequentia etiam iuxta nonnullos nulla, cum non omnes termini ad logicam attineant, nec eius sint, termini aliarum facultatum, provt sunt aliarum.

21

Circa orationem enunciatiuam, ac perfectam siue enunciatiuam externam dubitabis secundò, an sit propriè enuntiatio, veraque ac stricta ratione rationem propositionis obtineat ? Non obtinere putant Hurtadus disp. 1. summul. sect. 3. §. 14. Ouiedo controuerſi. 1. summul. punct. 2. num. 1. Arriaga disput. 1. summul. sect. 2. num. 9. & alij (quos existimo in hac controuerſia, quæ solius est verbi, non rei, rectè loqui. Etenim quod præcisè dicitur propositio, quia propositionem refert, & significat, est improprie tantum, ac secundum quid propositio : at exterior, & vocalis propositio talis præcisè dicitur, quia mentalem refert, ac significat : ergo, &c. Maior est in aperto : homo namque pictus ob id dicitur improprie homo, quoniam hoc solo nomine nuncupatur homo, quod verum hominem significet, ac representet : similiter ergo quod tantum appellatur propositio, quia est propositionis imago quedam, & simulachrum, procul erit à veritate, ac proprietate eius quod imitatur. Confirmatur : homo pictus intrinsecè, & naturaliter representat hominem : & tamen metaphoricè, & secundum quid dicitur homo : propositio igitur exterior à fortiori, vt aiunt, est improprie, & secundum quid propositio, cum mentalem extrinsecè solum, & ex solo hominum libito representet.

22

Obiiciunt tamen primò cum doctissimis Recentioribus tuentibus contrarium. Denominatio non solum intrinseca, sed etiam extrinseca haud rarò vera, & propria est. Sic obiectum verè, & propriè cognoscitur, & amatur, esto amor, & cognitio nihil intrinsecum ei importent : sic cognitio propriè, & strictè vera est, & amor propria, ac stricta ratione

T 2

bonus

bonus moraliter, licet veritas, & bonitas, aut semper, aut multoties actibus intellectus, & voluntatis ex parte sint extrinsecæ: sic deinde vna res dicitur alteri strictè, ac rigorosè similis, æqualis, &c. tum etsi hæ relationes non sint omninò saltem intrinsecæ: quamvis igitur propositio vocalis dicatur propositio per denominationem extrinsecam à mentali, quam refert, non ex hoc censenda erit improprie, & adumbratè duntaxat propositio. Respondeo: duplex est denominatio extrinsecæ: altera qua vnum ad aliud referri dicitur; & hæc vera ac propria est: vt exempla adducta suadent: altera, qua beneficio eius relationis vnum dicitur esse aliud; & hæc impropria, & lata est, vt nostrum persuadet argumentum.

23 Obiicies secundo: significare hominem v.g. esse animal rationale est affirmare vnum de alio: sed propositio externa, & vocalis verè significat, hominem esse animal rationale iuxta omnes, verè igitur vnum de alio affirmat, adeoque strictè est propositio. Respondeo distincta maiori: Significare hominem esse animal rationale ad placitum utique & arbitrariò est affirmare vnum de alio verè, & propriè: nego maiorem; improprie, & secundum quid concedo. Obiicies tertio, actus intellectus sunt verè & propriè subiectum & prædicatum formale: non alia ratione, nisi quia subiectum, & prædicatum obiectiuum repræsentant: similiter ergò quamvis subiectum, & prædicatum vocale ita dicantur, eo præcisè quod subiectum, & prædicatum interius, ac mentale repræsentent, tamen vera, ac propria ratione subiectum erunt, ac prædicatum: ac proinde eadem veritate, & proprietate erit enuntiatio, quæ ex eis oratio coalescit. Respondeo: actus intellectus dicuntur subiectum, ac prædicatum in ordine ad subiectum, ac prædicatum obiectiuum, quod denominant, & constituunt, quodvè subiiciunt, & prædicant, vt est à nobis in loco expositum: quod autem formaliter constituit subiectum, & prædicatum, quid mirum, si verè subiectum, & prædicatum formale dicatur: sicuti quod formaliter facit album, id ex vero dicitur album formale, siue albedo. At subiectum vocale (par autem est ratio prædicati seruata proportione) tale dicitur in ordine ad interius, & mentale, non quod constituat, sed quod constitutum significet, ac repræsentet, haud secus ac hominis effigies, siue homo pictus hominem refert, non constituit.

24 Obiicies vltimò: hæc vox, *signum ad placitum*, est verè, & propriè signum ad placitum: non alia ratione, nisi quia significat hoc, & illud signum ad placitum: similiter ergò propositio vocalis verè talis censenda est, quamvis præcisè propositio sit, eò quod mentalem, aut obiectiuam ex instituto significet. Antecedens quoad primam partem est compertum: quoad secundam suadetur: nam ea vox est signum ad placitum, quia aliquid repræsentat ad placitum: nihil autem est quod ita repræsentat,

nisi hoc, & illud signum ad placitum sub ea ratione communi contentum. Respondeo: quod ad placitum significat signum, siue sit vox nobis obiecta, siue quidpiam aliud, verè signum est: verum tamen id non habet à signo ad quod habitudinem dicit, quia si aliud quoduis obiectum significaret, eodem modo foret signum, sed ab ipsa habitudine, quam dicit, quæ habitudo, vt euident est, signum facit. At habitudo ad propositionem, & eius expressio propositionem non constituit, sicut habitudo ad hominem, & eius expressio pictum hominem, non tamen verum efficit.

25 Hæc quamvis ita se habeant diffiteri tamen nequeo, quin sit valdè probabile, propositionem externam, & vocalem strictè, ac propriè rationem propositionis adipisci. Etenim signum instrumentale verè, ac rigorosè signum est, etsi non alia de causa sit signum, quam quia cognitionem, siue signum formale in nobis excitat, & gignit: similiter ergò propositio vocalis propria, ac vera ratione erit propositio, licet talis tantum dicatur, quia mentalem, scilicet conceptum mentis, excitat, aut supponit. Rursus omne ens creatum dicitur ens à similitudine, & participatione primi entis, quod tamen non prohibet, quominus sit simpliciter, ac proprie ens: similiter ergò in præsentia, &c. Dupliciter ergò vnum potest repræsentare aliud: primò ita vt ab vtroque ratio communis vtrique verè, & simpliciter conueniens abstrahi nequeat: qua ratione homo pictus verum repræsentat: secundò ita vt ab vtroque talis ratio communis sustineat abstrahi: Atque hoc posteriori modo propositio interior, & exterior comparantur inuicem: vtrique enim est in genere signi: quidni autem à signo interno, & externo non minus quam à formali, & instrumentali queat abstrahi ratio communis signi vtrique verè & vniuocè conueniens? quod si signi cur non etiam propositionis?

Atque hæc sint satis de oratione, nisi quod prætermittere non possum, vt nomen, & verbum sic eam aliter quam ab Aristotele, & minus quidem salebrosè, definiri posse, hunc scilicet in modum: oratio nihil aliud est, quam plures dictiones congrue se habentes: quo pacto eam definiunt Villalpandus, Sotus, Toletus, & alij authores probati: Nec obest quod noster Aluarus Semmedus refert lib. de imperij Sinensis euangelica cultura 2. parte cap. 3. apud Sinenses Rio significare pedem humanum, chua pedem volucris, ac thi pedem animalis, adeoque quamlibet earum vocum, cum vna tantum sit, nihilominus esse orationem, & sic hanc videri perperam definitam, plures dictiones congruè se habentes: Nihil inquam hoc obest: namque earum dictionum nulla non est virtute multiplex, nulla non plurium pondus, & instar habet: huiusmodi autem multiplicitas, ac pluralitas sola, & non maior à nobis, & authoribus nuper memoratis exigitur ad orationem.